Gaillard, F.
1904.
Thesis
Marburg 1904

DE

BREVILOQVENTIA PLINIANA QVAESTIONES SELECTAE

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM CONSENSV ET AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM IN ACADEMIA PHILIPPINA MARBVRGENSI ORDINIS AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

FERDINANDVS GAILLARD
RHENANVS

MARBVRGI CATTORVM
MCMIV

Dissertatio inauguralis referente Theodoro Birt P. P. O. ab amplissimo philosophorum ordine probata die XXIII. mensis Novembris anni MCMIV.

Typis Caroli Georgii, typographi academici Bonnae.

PARENTIBVS OPTIMIS

PETRO PATRI MATRI ANNAE GAILLARD

S.

Cum dicendi consuetudo uniuscuiusque linguae, dum in usu est, mutetur neque ullus scriptor ex grammaticorum praeceptis, sed sui ipsius naturam secutus suam dicendi rationem formet, de uniuscuiusque scriptoris propria indole ex ipsius dicendi genere potest optime disputari atque singulare eius ingenium in lucem proferri. Principalem autem locum in iis, quorum dicendi consuetudo, insolens enuntiatorum constructio maximeque breviloquentia in legendo oculos in se convertunt, obtinet Plinius Secundus, praestantissimus scriptor naturalis historiae optima fortuna memoriae proditae, de cuius dicendi genere et imprimis breviloquentia nonnullas contuli observationes; quamquam non ignoro hanc rem nihil non habere negotii, qua de causa usque adhuc non multi viri docti disputaverunt de Plinii naturali historia, in quibus maxime mihi auxilio venerunt:

L. L. Grasberger: De usu Pliniano, Wirceburgi 1860; Ioh. Mueller: Der Stil des älteren Plinius, Oeniponti 1883; C. Mayhoffius: Lucubrationum Plinianarum specimen, Vratislaviae 1865.

Cum autem, quae hi viri doctissimi protulerunt, parum perfecta expletaque mihi esse videantur, inanem laborem me suscipere non arbitror denuo de hac re disputans, praesertim cum ab illis viris doctis parum ad finem ducta sit res ideo, quod singulas naturalis historiae partes non separaverunt; distinguendum enim est inter eas partes, in quibus Plinius refert de aliqua re, in quibus habet disputationem philosophicam, denique in quibus de singulis generibus plantarum, animalium imprimisque medicamentorum loquitur, quibus in medicamentorum libris brevissime scripsisse more medicorum Plinium, quis est qui neget? Perstrinxit tamen hanc rem paucis verbis idem L. Grasberger l. l. p. 8 cum dicit: usus medici est imprimis ellipsis vocabuli febris in libris de medicina, vel pars, aqua, remedium. Hanc observationem esse rectam docent nos medici ipsi, e quorum scriptis Gras-

berger facile probare potuerit sententiam suam: cf. Celsi III 8 *at ubi id genus tertianae* (sc. febris) *est;* III 14 *si vero tertiana . . . aut quartana est;* III 15 *eadem in quartana facienda sunt.* Partis vocabulum his locis deest: Scribonii c. I *donec ad dimidias perducantur;* III *decoquere ad dimidias;* LX *postea tritae ad tertias admiscent spicae nardi, quod satis est;* LXV *hoc decoquitur ad dimidias,* quae exempla facile augeri possunt. Paulo infra nonnullis locis imprimis in capitibus, quae tractant appositionem et verborum omissionem, pluribus verbis de hac re disseram.

Sed ut veniamus ad propositum, hunc in modum disponamus materiam nostram.

I. De ellipsi substantivorum.

1. omittitur subiectum
   a) enuntiati primarii vel secundarii,
   b) in structura accusativi cum infinitivo,
   c) ablativi absoluti;
2. desideratur obiectum,
3. genetivus,
4. dictio praepositionalis;
5. deest substantivum, si ex circumstantibus eius notio facile suppletur.
   a) desunt appellativa: uxor, filius, amicus,
   b) substantiva, quae regunt genetivum qualitatis,
   c) substantiva dictione praepositionali indicata.

Primus sequitur excursus brevis de genetivo singularis pronominis possessivi neutrius generis.

6. omittitur secundum comparationis membrum.

II. De singulari quadam vi substantivorum.

1. de abstractis substantivis,
2. de appositione ex adiectivo conformata,
   a) adiectivum adhibetur eodem modo ac participium,
   b) appositio enuntiatorum concessivorum vice fungitur,
   c) appositio exstat pro enuntiato relativo,
   d) appositionis vis augetur adverbio adiuncto.

Secundum hoc loco addam excursum

1. de participio cum particulis coniuncto,
2. de omissione particularum,
3. de coniunctione „et“ idem significante atque „etiam.“

III. De neutrius generis adiectivorum substantivo usu apud Plinium.

1. de singulari numero:
   a) de accusativo,
   b) de casibus genetivo, dativo, ablativo,
   c) de adiectivis ablativi forma exstantibus, quae e praepositionibus pendent,
   d) de adiectivis singularis numeri, e quibus genetivus vel dictio praepositionalis pendent;
2. de plurali numero;
   a) de nominativi et accusativi casibus,
   b) de casibus obliquis,
   c) de adiectivis pluralis numeri, e quibus pendet genetivus vel dictio praepositionalis.

IV. De verborum ommissione.

1. supplendae sunt formae verbi „esse“,
   a) in compluribus enuntiatis primariis vel secundariis sequentibus,
      α) eadem forma,
      β) alia forma,
   b) in enuntiatis primariis vel secundariis indicatae
      α) dictione praepositionali,
      β) coniunctionibus;
2. supplenda sunt verba oriendi vel movendi iisdem dictionibus praepositionalibus vel coniunctionibus indicata;
3. supplendae sunt formae verborum fieri, evenire, accidere,
4. formae aliorum verborum,
5. formae verborum dicendi indicatae
   a) dictione praepositionali,
   b) accusativo obiecti,
   c) oratione obliqua.
6. verbum omittitur, si ex antecedentibus vel sequentibus expleri potest:
   a) ex enuntiato primario supplendum est verbum in aliud enuntiatum primarium
      α) eadem forma,
      β) alia forma,

b) ex enuntiato primario in enuntiatum secundarium
   α) eadem forma,
   β) alia forma,
c) ex enuntiato secundario in enuntiatum primarium,
d) ex enuntiato secundario in aliud enuntiatum secundarium.

7. verbum finitum omittitur, si similis notio antecedit vel sequitur.
8. de particula „ut“ brachylogice posita.

I. De ellipsi substantivorum.

1. Omittitur subiectum

a) enuntiati primarii vel secundarii.

Observavi subiecti vocabulum omitti in scriptis Plinianis, quod primo obtutu fieri non posse videtur, cum enuntiatum sine subiecti substantivo exstare non possit. Etsi plurimis locis tantum pronomen demonstrativum opprimitur, tamen nonnulli huius generis loci laxius sunt formati, ut satis non sit pronomen tantum suppleri velut X 32, ubi est: *Corvi pariunt cum plurimum quinos, ore eos parere aut coire vulgus arbitratur; ideoque gravidas, si ederint corvinum ovum, per os partum reddere atque in totum difficulter parere, si tecto inferantur*, sc. corvi, quod subiecti substantivum expressum exspectamus, praesertim cum antea de gravidis aliquid proferatur. Simili modo insolens est X 40: *Sunt et pravae aves uncorum unguium, ut pici Martio cognonime insignes et in auspiciis magni.* Sequitur deinde multum de picis, denique legimus: *Trebius auctor est clavum cuneumque . . . statim exsilire . . . cum insederit clavo aut cuneo* sc. picus, quod vocabulum exspectamus, quia antea de picis, nunc de pico aliquid narratur. Idem est XIII 91: *confines ei Mauri, quibus plurima arbor citri et mensarum insania, quas feminae viris contra margaritas regerunt. Exstat hodie M. Ciceroni.* quid? talis mensa, quod vocabulum non sine duritia sententiae expleri debet e sententiarum conexu. Quam duri sint tales loci, plane elucebit, si contulerimus cum his locis quoslibet Ciceronianos. cf. Cic. in Verr. act. II 1, 2, qui locus casu ante oculos mihi est, quo Cicero locuturus de dignitate Siciliae his pergit verbis: *nam cum omnium sociorum provinciarumque rationem diligenter habere debetis, tum praecipue Siciliae, iudices, plurimis iustissimisque de causis, primum quod omnium nationum externarum princeps Sicilia se ad*

amicitiam fidemque populi Romani applicavit, quo loco repetitur vocabulum Siciliae paulo antea forma genetivi casus antecedens. In sequentibus enuntiatis de Sicilia agentibus quamquam non exstat vocabulum Siciliae ipsum, exstat tamen pronomen demonstrativum, quod, ut iam supra docuimus, desideramus aliis locis Plinianis, quam rem iam attigit I. Müller l. l. p. 71 sq. Inspicias velim etiam hos locos: IX 9 *auditumque in quodam specu concha canentem Tritonem qua noscitur forma; et Nereidum falsa non est* (sc. forma), subiecti ergo vocabulum alia ac nominativi casus forma antecedit neque repetitur in enuntiato ipso. Idem legimus IX 56 *et alias ubicunque pisces in eadem aqua adsidui, si non adfluat* (aqua), *exanimantur; X 82 non sit ui dubium hanc suavitatem praemonstratam efficaci auspicio cum in ore Stesichori cecinit infantis* (sc. is i. e. luscinius); XVI 117 *namque et minora poma proveniunt et vermiculis obnoxia; quin et in ipsa arbore nascuntur obnoxia* (sc. ii, i. e. vermiculi); XI 233 *asinis a fetu dolent* eae, i. e. mammae.

Laxior quam Ciceronianus Pliniique magis proprius est usus huius generis Livianus. cf. Livii XXXIX 14: *censuit autem senatus gratias consuli agendas . . . quaestionem deinde de Bacchanalibus sacrisque nocturnis extra ordinem consulibus mandant,* qui quidem locus ea re excusandus est, quod facile e vocabulo senatus expleri potest senatores. Durior, attamen non insolens, est hic locus Livianus XXXIX 20: *et iam Q. Martius quaestionibus suae regionis perfectis in Ligures provinciam proficisci parabat, tribus milibus peditum Romanorum . . . acceptis; eadem provincia, idem numerus peditum . . . et collegae decretus erat, exercitus acceperunt* (exspectemus fortasse hi), *quos priore anno . . . consules habuerunt.* Quomodo haec dicendi consuetudo aucta atque explanata sit a Plinio, supra cognovimus.

b) Omittitur subiectum in structura accusativi cum infinitivo.

Multo saepius supprimitur subiecti accusativus in accusativi cum infinitivo structura, cuius rei exempla inveniuntur omnibus linguae Latinae temporibus imprimisque si subiectum verbi regentis et accusativi cum infinitivo idem est, saepissime apud

scriptores priores velut apud Plautum Terentiumque[1]), in Ciceronianis rarissime exstat haec ellipsis, nonnunquam in Caesarianis[2]); complures locos Livianos collegit Drakenborchius ad Livii 1, 23, 5 et 42, 10, 15, praecipuèque adhibet Livius hanc constructionem grammaticam in infinitivo futuri activi verbo *esse* ommisso[3]), cum e Pliniano scripto tot afferri possint exempla, ut dixerit quispiam omissionem subiecti accusativi cum infinitivo praeceptum grammaticum Plinianum esse. Sed ne rem actam agamus, illos mihi perpende locos ab aliis viris doctissimis collectos[4]).

c) Omittitur subiectum ablativi absoluti.

Porro ne illud quidem videtur neglegendum etiam in ablativo absoluto omitti ablativum subiecti, ac primum quidem, quod maxime est singulare, substantivum ipsum nullo antecedente vocabulo, ex quo suppleri potuerit, cuius rei modo hoc exemplum invenire potui XII 58: *prior atque naturalis vindemia circa canis ortum flagrantissimo aestu, incidentibus* (sc. hominibus), *qua maxime videatur esse praegnans* (cortex), quocum loco exceptis prioris latinitatis scriptoribus atque classicis ille tantum locus Tacitinus est conferendus, qui exstat in Agricol. c. 18: *famam auxit, aestimantibus* (sc. hominibus), *quanta futuri spe tam magna tacuisset,* ubi *aestimantibus* esse dativum contendit Peter[5]).

Sed minus insolens est haec ellipsis, si subiectum ablativi absoluti est omissum pronomen demonstrativum ante enuntiatum relativum[6]), quam structuram praeter alios locos multos legimus

---

1) cf. R. Kuehnerii: Lat. Grammatik Hannov. 1877 II p. 516 sq. et Anton Funk: Die Auslassung des Subjectspronomens im Acc. c. inf. bei den latein. Komikern; in Ann. Fleck. tom. 121 p. 725 sqq.

2) F. H. Th. Fischer: Rectionslehre Caesars Halae 1855 I S. 1, L. Kuehnastii: Liv. Syntax, Berolini 1872, ubi uberrime tractatur hic usus.

3) cf. A. Draegerii: Historische Syntax der latein. Sprache t. II p. 414.

4) cf. J. Muelleri l. l. p. 74 sq, C. Mayhoffii l. l. p. 43 adn. 26, L. Grasbergeri l. l. p. 8 sqq.

5) cf. A. Draeg. l. l. II p. 760 sq.

6) cf. A. Draeg. l. l. II p. 760; R. Kühner. l. l. II p. 578 sq.

IX 78: *hoc genus solum, ut ea, quae cete appellant, animal parit excepta, quam ranam vocant;* quem usum propagatum invenimus inde a Livio. cf. 31, 37, 1: *terga dantibus, qui modo secuti erant.* Aliis locis ex antecedentibus verbis supplendum est pronomen demonstrativum; priusquam autem hos enumerem locos, liceat mihi in memoriam revocare illum locum X 22, ubi legitur: *itaque et columbae novere ex iis* (i. e. accipitribus) *pericula, visoque* (sc. eo, i. e. accipitre) *considunt;* ergo hoc loco supplendum est pronomen demonstrativum singularis numeri, quamquam antecedit et substantivum ipsum et pronomen pro eo positum plurali numero, qua de causa hoc exemplum medium obtinet locum inter ea, in quibus substantivum, et inter ea, in quibus pronomen omittitur. Conferas velim cum hoc loco illum Livianum 4, 60, 1 *fatentibus* (sc. iis), cum antecedat plebe, qui locus ideo minus insolens est quam Plinianus, quod ut hic, ita saepe imprimis apud Livium, ut iam supra vidimus, collectivum vocabulum singularis numeri sequitur pluralis. His adiunguntur aliae omissiones pronominis faciliores, velut scriptum videmus in Caes. b. g. IV 12 *rursus resistentibus* (sc. nostris) *consuetudine sua ad pedes desiluerunt,* cum antecedit: *nihil timentibus nostris;* vel plures loci Liviani. Haec praefatus, ut, quatenus Plinius hoc dicendi genere utatur, demonstrem, ex illius scripto exempla addam haec, in quibus ablativus ex antecedenti vocabulo supplendus est: X 75 *nec unde veniant quoque abeant compertum, nunquam conspectis* (sc. iis, i. e. avibus) *nisi cum praesidio earum indigetur;* X 173 *stato id tempore evenit, cientibus* (sc. iis, i. e. maribus) *ad coitum feminas;* 199 *quia repleto* (sc. eo, i. e. stomacho) *propter angustias supprimitur cibus;* 205 *et per volnus etiam exempto* (sc. eo, i. e. liene) *vivere animalia tradunt;* 220 *praecisisque* (arteriis) *torpescit tantum pars ea corporis;* XIII 39 *dulcis medulla earum in cacumine, quod cerebrum appellant, exemptaque vivunt;* XVII 51 *natantium alitum damnato* (fimo); XXII 65 *perdices et gallinacios pugnatiores fieri putant in cibum eorum additis* (sc. ramulis vel foliis adiantanis); XXXII 51 *mira de iis* (i. e. rubetis) *certatim tradunt auctores: inlatis in populum silentium fieri* (sc. rubetis).

Aliis locis maiore iure dativus casus statuendus est velut XI 218 *nec hi* (nervi) *solidantur incisi, mirumque vulneratis summus dolor, praesectis nullus;* 47 *hominibus lati* (ungues sunt) . . . *et defuncto crescunt,* ubi eo magis dativum maluerim, quo saepius

in translata quidem significatione huic verbo coniungitur dativus. cf. Liv. 44, 11, 1 *animus crescit praetori*[1]).

2. Desideratur obiectum.

His locis adiungantur ii, quibus desideratur accusativus iis exemplis neglectis, in quibus facile ex ipsa verborum compositione accusativus intellegitur velut *conscendere* (naves), *sustinere* (hostes), *in senatum convocare, referre* (rem) similiaque, e quibus exemplis ortus est ille, qui etiam in Pliniano scripto exstat, usus absolutus verborum transitivorum, cum fortasse plurima horum verborum primo absolute posita postea re vera intellegerentur verba intransitiva, ut accusativus omissus non sentiretur neque pertineret ad breviloquentiam. Itaque illos modo afferam locos Plinianos, quibus accusativum supplendum esse plane elucet. Conferas velim praef. 6: *sed haec* (i. e. virtutes imperatoris) *quis possit intrepidus aestimare subiturus ingeni tui iudicium praesertim lacessitum? neque enim similis est condicio publicantium et nominatim tibi dicantium* (sc. opera sua; sequuntur enim verba: quid ista legis); IX 96 *quia nocte sidus tepido fulgore mitificat* (sc. aquam); X 124 *illi vestigabant agebantque* (sc. feras); XI 47 agitur de apibus imprimisque de grandioribus apibus in extremis favis nascentibus, quae ceteras fugant; deinde pergit Plinius: *oestrus vocatur hoc malum, quonam modo nascens, si ipsae fingunt* (sc. fetum suum); XI 82 *at illa* (i. e. licia aranei in summa parte praetenta) *difficile cernuntur atque ut in plagis liniae offensae praecipitant in sinum* (sc. praedam); XV 97 *tingunt manus suco matura, eluunt acerba* (sc. colorem); aliis locis deest pronomen personale. cf. praef. 11: *religiose adiri etiam a salutantibus* (sc. te) *scio*; et pronomen demonstrativum praef. 15 *nobis itaque etiam non assecutis* (sc. haec); IX 126 *in maioribus quidem purpuris detracta concha auferunt* (sc. eum, i. e. sucum).

---

1) cf. Antibarbarum ed. I. H. Schmalz, Basel 1887 I p. 340.

3. Desideratur genetivus.

Deinde hosce mihi perpende locos, ubi genetivus e toto sententiarum conexu supplendus omittitur: X 66 *semper hinc remeantes comitatum* (sc. aliarum avium) *sollicitant;* 105 *saepe et hac causa* (fit) *castigatio* (sc. maris, genet. subi.); XIV 127 *experimentum vero* (sc. bonae picis), *si fragmenta subluceant ac sub dente lentescant acore iucundo,* quo loco adiungendum est bonae picis, quod antea agitur de vitiis picis; XXIII 144 *nuces ipsae somnum faciunt et aviditatem* (sc. cibi); X 169 *viperae mas caput inserit in os* (sc. feminae), quamquam haec vox non expressa antea non nisi ex sequentibus intellegitur verbis: *quod illa abrodit voluptatis dulcedine.* Huius generis genetivis non addam XXII 38, ubi est: *quidam e nostris tempore discrevere genera,* quo loco falso supplet Strackius „florendi" vertens: einige haben die Arten nach der Zeit der Blüte unterschieden: immo sensu praegnanti dictum est *tempore:* nach der Zeit, qui usus saepe exstat in naturali historia. Diversum est, quod tamen hic adiungo, exemplum XXXVII 20 *memoranda res tanti* (so teuer i. e. ex sententiarum conexu: e poculo tanti pretii) *imperatorem bibisse.*

4. Desideratur dictio praepositionalis.

Restat ut addam exempla, quibus demonstratur dictionem quoque praepositionalem deficere, quae loquendi consuetudo similis est ei, quae omittit accusativum, qua in re faciles sunt hi loci IX 15: *lanceas congerente milite e navigiis adsultantibus* (sc. in oram). cf. quod supra dixi de vocabulis *conscendre* (naves) vel *sustinere* (hostes). Similiter non difficulter intellegi potest dictio praepositionalis hoc loco: IX 128 *aquae dulcedine necantur* (purpurae) *et sicubi flumen immergitur* (sc. in mare). Difficiliores sunt hae omissiones, quae tamen e verborum compositione suppleri possunt: X 179 *asinas* (quam lectionem una cum L. Urlichsio praefero[1]) *septimo die* (sc. a partu) *concipere facillime creditur* et XI 205 *peculiare cursus impedimentum aliquando in eo* (in liene), *quamobrem inuritur cursorum laborantibus* (sc. ex eo).

1) cf. L. Urlichsii: Vindicias Plinianas, Erlangae 1866 n. 197.

5. Deest substantivum, si ex circumstantibus eius notio facile suppletur.

Sed etiam aliis locis brevitatis dicendi causa desiderantur substantiva, si aliquo modo indicantur vel ex enuntiati sententia cognosci possunt. Priusquam autem ad hoc caput transeam, liceat mihi illos afferre locos, qui cum sequentibus sunt conferendi, quibus more Graecorum omittuntur

a) appellativa uxor, filius, amicus,

quae et genetivo nominis proprii satis intellegi possunt, quod dicendi genus, quamquam non orditur inde a Plinio, tamen non vulgare est apud comicos poetas, qui nonnullis locis supprimunt vocabulum servi. cf. Plaut. Amph. 411 *equidem sum Amphitruonis Sosia* (sc. servus); Curc. 230 *estne hic Palinurus Phaedromi* (sc. servus); Terent. And. 357 *forte ibi huius video Byrriam* (sc. servum). Cum autem ab aliis scriptoribus, Cicerone, Vergilio, Livio saepenumero nomina affinitates significantia omittantur, conici potest non nisi fortuito hanc ellipsin apud comicos non exstare[1]). In scripto Pliniano principem locum obtinet omissio vocis uxoris. cf. XXVIII 50 *Poppaea hoc Neronis principis instituit;* XXXIII 19 *nos vidimus Agrippinam Claudii principis;* XXXV 202 *iubente Agrippina Claudii Caesaris;* XXIX 8 *Vettius Valens adulterio Messalinae Claudii Caesaris nobilitatus;* VII 158 *et ex feminis Livia Rutili* LXXXXVII *annos excessit;* XXXV 2 *testes sunt et Atticus ille Ciceronis* (sc. amicus)[2]).

Attamen fieri potest, ut ellipsis uxoris, filii aliorumque appellativorum his locis statuenda non sit, sed genetivus possessivus, quod eo commendari potest, quod plurimis locis significatur persona subiecta, quae est in aliena potestate, in qua re vera erant uxores, filii, servi apud Romanos, quo accedit, quod nos quoque dicimus: Muellers Gottlieb non desiderantes vocem Sohn[3]).

---

1) cf. A. Draegerum l. l. I p. 447.

2) cf. L. Grasberger l. l. p. 10.

3) cf. K. Reisigium: Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft ed. Fr. Haase Lipsiae 1881 p. 640 § 353.

Cum illis locis Plinianis contuleris etiam Cic. Att. 12, 30 *Serviae Claudii* (sc. uxoris) *pater;* vel 12, 21 *Oviae C. Lollii* (uxoris).

b) Desunt substantiva, quae regunt genetivum qualitatis.

Deinde genetivo qualitatis indicantur substantiva. Apud Plinium enim saepe genetivus qualitatis non modo adiungitur appellativis nominibus, ut in nostra lingua et plerumque apud Romanos fit, sed etiam nominibus propriis, qua in re distinguenda sunt ea exempla, in quibus re vera agitur de bonis animi, ab iis, quae tractant genus et originem alicuius hominis. Ad priorem partem pertinent huius modi exempla IX 39 *et repositoria his vestire Carvilius Pollio instituit prodigi et sagacis ad luxuriae instrumenta ingeni* sc. vir vel homo, quae primum quidem deficiunt substantiva genetivo indicata; quae brachylogia a Cicerone quamvis in ablativo qualitatis, tamen non in genetivo adhiberi videtur[1]). Sed hanc structuram neglectam non esse a Caesare docet locus b. g. V 6 *quod eum cupidum imperii, magni animi, magnae inter Gallos auctoritatis cognoverant,* ubi mitigatur appellativi nominis omissio pronomine demonstrativo. Alios locos nobis praebet Livius. cf. 30, 7 *quattuor milia Celtiberorum . . . egregiae virtutis,* vel 38, 24 *centurio . . . et libidinis et avaritiae militaris*[2]).

Ad alteram partem idonea sunt haec exempla, in quibus genetivo nomini proprio addito significatur facultas alicuius rei, velut IX 28 *quae faciunt, ut credatur Arionem quoque citharoedicae artis* (sc. virum) . . . *in litus pervectum* (esse); vel XXV 7 *Lenaeum grammaticae artis,* quo pertinet illud Ciceronianum, quod scriptum videmus in Bruti c. 83 *Charisius multarum orationum* (erat), vel Livianum: 35, 31 *Zeno . . . magnae ob eleganter actam vitam auctoritatis.*

Genetivus originis vel generis his locis Plinianis coniungitur cum nomine proprio: X 71 *Caecina Volaterranus equestris ordinis;* VII 186 *L. Domitius clarissimae gentis;* 187 *M. Lepidus nobilissimae stirpis,* cuius rei primum exemplum non nisi in Liviano scripto invenimus, qui dicit 3, 37 *L. Tarquitium, patriciae gentis,*

1) cf. A. Draegerum l. l. I p. 426.

2) cf. Thom. Ruddimannum: Instit. gramm. de regimine p. 59 not. 37.

quamquam genetivus humanam aetatem significans, qui illius generis similis est, pluribus locis scriptorum priorum exstat: cf. Liv. 4, 41 *et exactae iam aetatis Capitolinus Quinctius* (attamen antecedit vox viri); 21, 1 *Hannibalem annorum ferme novem;* vel Nep. 18, 13 *Eumenes annorum quinque et quadraginta.*

Quomodo Plinius adamaverit atque propagaverit hanc structuram, primum quidem demonstrant exempla supra allata, quae multis aliis augeri possunt, deinde quod eiusmodi genetivus etiam adhibitus est neque nomine proprio neque appellativo ullo exstante velut III 179 *cetero nigri coloris candidive* (sc. boves) *ad laborem damnantur;* VII 34 *gignuntur et utriusque sexus* (sc. homines), *quos Hermaphroditos vocamus;* IX 164 *purpurae, murices eiusdem generis* (sc. animalia) *vere pariunt;* XXV 61 *vetant dari senibus, pueris, item mollis ac feminei corporis animive* (sc. hominibus)[1]), cuius usus ego quidem usque adhuc aliorum scriptorum exempla afferre non possum, cum id, quod scripsit Suetonius in Neronis c. 15 *triumphalia ornamenta et quaestoriae dignitatis et nonnullis ex equestri ordine tribuit,* excusandum sit vocabulo „nonnullis", de quo dependet et „quaestoriae dignitatis" et „ex equestri ordine". Similiter conformatum est, quod exstat aqud Iul. Capitolinum in Maxim. c. 2 *adulescens et semibarbarus et vix adhuc Latinae linguae.* Attamen optime quadrat in hunc usum Plinianum, quod idem adnotat Capitolinus in Maxim. c. 4.: *iam maturae aetatis ad eum venit,* nisi quod dixerit quispiam hunc quoque locum faciliorem esse quam Plinii, quod iterum significetur aetas hominis, quae sententiae, ut supra iam breviter attigimus, excipiendae sunt.

Nec non idem efficit genetivus possessivus in Pliniano opere. cf. XXXV 101 *patria ei Caunus, gentis Rhodiis subiectae* (sc. urbs vel vicus).

c) Desunt substantiva indicata dictione praepositionali.

Pro genetivo indicatur substantivum omissum dictione praepositionali, qua omnino Plinius saepenumero utitur eodem modo ac genetivo, cum etiam dictionem praepositionalem dependentem facit a substantivo nullo participio adiuncto velut

1) cf. I. Muellerum l. l. p. 102.

XXXIII 11 *cum corona ex auro; 81 calicem ex electro; 139 vasa ex argento.* Talibus dictionibus praepositionalibus indicata opprimuntur modo appellativa velut VII 53 *Antiocho regi Syriae e plebe* (sc. vir.) *nomine Artemo in tantum similis fuit; 60 invenitur... C. Crispinum Hilarum ex ingenua plebe Faesulana* (sc. virum)... *immolasse,* modo adiectivum vel numerale indefinitum nomen imprimisque *unus* velut XVII 245 *Vecti Marcelli e primis equestris ordinis;* IX 67 *Asinius Celer e consularibus; 77 Vedius Pollio, eques Romanus, ex amicis divi Augusti; 89 quae Trebius Niger e comitibus eius prodidit;* XI 114 *Alcman e clarissimis Graeciae poetis;* XXXII 123 *sicut Messalinum* (interemit) *e consularibus patriciis;* XXXI 7 *qui fuit e libertis eius;* VIII 55 *Hanno e clarissimis Poenorum.*

Hoc quoque in capite multo excedit Plinius e consuetudine recepta, cum praeter appellativa alia quoque nomina supprimit dictione praepositionali absolute posita velut IX 73 *et e planis* (sc. pisces) *aliquando non habent pinnas*; XXXI 109 *si et imbres adfuerunt, minus e flumine* (sc. aquae) *addunt;* XXXVII 151 *Callaicam vocant e turbido callaino* (sc. lapidem).

Nescio an hic afferre mihi liceat insolentiorem locum XXXIII 29, ubi est: *anuli distinxere alterum ordinem a plebe... sicut tunica ab anulis senatum;* brevissime enim hoc ultimum dictum est pro: sicut tunica senatum distinxit ab iis, qui anulum gestant.

Primus excursus.

De genetivo singularis pronominis possessivi neutrius generis.

Brevem mihi liceat excursum facere hoc loco de genetivo singularis pronominis possessivi neutrius generis, cum supra nonnullis locis actum sit de genetivo, quo dicendi brevitas aliqua efficitur. Hic enim genetivus a scriptoribus prosaicae orationis et poetis argenteae latinitatis, quae dicitur, substantivis adicitur pro possessivo pronomine adiective posito, cum priores scriptores hunc genetivum ponant non nisi genetivum obiectivum, qui dependet a substantivo verbali, quod significat personam agentem velut *accusator mei* et e substantivis, quae admittunt genetivum obiectivum velut *studium, memoria,* si tota res signi-

ficatur, velut Cicero dicit in Acad. post. 11, 42 *principium sui*[1]). Plinius haec vocabula inusitata prioribus scriptoribus cum eiusmodi genetivo coniungit: XXXIII 95 *nullaque spe sui nascitur;* XXXIV 92 *Callimachus semper calumniator sui;* XXXV 86 *maior imperio sui; 158 fastigia . . . mira caelatura et arte suique firmitate;* XXXVII 63 *visum admittentes ad crassitudinem sui; 136 admirationem sui augens; 239 quae voracitatem . . . sine damno sui pascit*[2]).

Pro genetivo partitivo legitur genetivus pronominis possessivi neutrius generis his locis: XXXV 167 *tenuissima sui parte;* XXXVI 1 *durissima sui materia;* XXXVII 136 *cetera sui parte crystallus;* 159 *reliqua sui parte candida;* XXXI 83 *Hispaniae quadam sui parte;* XXXII 1 *in ulla sui parte;* II 5 *figura omnibus sui partibus vergit;* ibidem: *ut initium ullis sui partibus sentiens;* 82 *ne abdicata quidem sui parte in divinis cessante operibus* (der vom Ganzen getrennte Teil); item II 188; IV 23; 58; V 145; XII 67.

6. Omittitur secundum comparationis membrum.

Quamvis multis dixerim verbis de substantivorum omissione, restat tamen, ut accuratius agam de alia Pliniani sermonis propria breviloquentia, de qua mihi deinceps exponendum est. Multis enim locis deest apud Plinium secundum comparationis membrum, qui usus primum invenitur in scripto Liviano 2, 7, 2 *uno plus Tuscorum cecidisse in acie* (sc. quam Romanorum)[3]). Multo maior autem est hic usus in Plinianis scriptis, quod ex hisce exemplis, ut eligam ex plurimis nonnulla perspicua, clare atque dilucide patet. cf. praef. 5 *fulgurat in nullo unquam verius dicta vis eloquentiae, tribuniciae potestatis, facundiae* (sc. quam in te); 26 *me non paenitet nullum festiviorem excogitavisse titulum* (sc. quam illos); XVII 77 *Atinias ulmos autumno serere utilius* (sc. quam vere); 78 *rariores serendas in campestribus convenit* (sc. quam in collinis); II 218 *quoniam et in corpore extrema pulsum venarum, id est spiritus, magis sentiunt* (sc. quam interna); XVI 119

1) cf. in universum K. Nipperdeium ad annal. Tac. XII 47.
2) cf. K. Reisigium l. l. p. 656 not. 540.
3) cf. L. Kuehnastium l. l. p. 283.

quoniam omnis infirmitas caelo magis oboedit (sc. quam firmitas); XI 141 *prominentes* (oculi), *quos hebetiores putant* (quam conditos); IX 84 *saepiarum generi mares varii et nigriores constantiaeque maioris* (sc. quam feminae); 86 *et grandibus minor tenacitas* (quam parvis); XI 142 *caesii in tenebris clariores* (quam in luce); 258 *insectorum pedes primi longiores* (quam reliqui); 270 *nec in alio animalium saepius mutatur* (quam in homine): quibus exemplis etiam plura adici possunt, sed longum est omnia afferre, praesertim cum allata satis superque doceant, quantopere adamaverit Plinius hunc dicendi usum.

II.

De singulari quadam vi substantivorum.

1. De abstractis substantivis.

Porro iis, quae de brevitate Pliniana in nominibus dicenda sunt, adiungi potest observatio quaedam habita de abstractis vocabulis, quibus adhibitis, quam admiramur, insolens dicendi consuetudo efficitur; ac primum quidem abstracta substantiva sunt posita a Plinio pro concretis, velut adustiones (cf. XX 61 *sanat . . . cicatrices adustionesque omnes*) et ambustiones significant Brandwunden, qui usus per totam vagatur latinitatem; cf. Terent. Ad. 739 *corruptela* i. e. corruptrix; Plaut. Pseud. 64 *servitia* i. e. servi; Cic. pr. Flacco 38 *servitia sileant;* Cic. p. Rosc. 15 et pr. Murena 47 *vicinitas* i. e. vicini, quae exempla multis aliis augeri possunt[1]). Hanc abstractorum consuetudinem magna cum licentia propagavit Plinius, quem primum quidem substantiva abstracta ponere pro adiectivis cum substantivo hominis coniunctis his demonstretur exemplis: IX *26 iniuriae potestatum* (quae lectio et ex sententiarum conexu et ex structura grammatica recta est) i. e. hominum potentium vel potius h. potestate indutorum, *in hospitales ad visendum venientium Hipponenses in necem eius compulerunt.* XXXIII 1 *tellurem intus exquirente cura* (i. e. homine sollicito) *multiplici modo, quippe alibi divitiis foditur quaerente vita* (quaerente homine) *aurum argentum;* vel XXXIII 3 *quousque penetratura avaritia.* Similiter etiam conformati sunt hi loci: praef. 17 *adiectis plurimis, quas aut ignorant priores aut postea invenerat vita* i. e. homines in usum vitae; 123 *ex secundario* (minio) *invenit vita et hydrargyrum;* 147 *nec copia argenti tantum furit vita;* VIII 147 *plurima alia in his cotidie vita invenit.* Insolens etiam est locus XXXV 3 *qualiter illos nasci optassent deliciae* i. e. homines libidinosi,

1) cf. A. Draegerum l. l. I p. 18; R. Kuehnerum l. l. p. 57 not. 5; O. Ruddimannum l. l. II p. 375.

Strackius: die Lüstlinge; adicere possumus XXXVI 48 *tali auctoritate* i. e. ab homine talis auctoritatis, *inventa re.* Magna etiam est vis abstracti substantivi ad breviloquentiam pertinens XXXVI 116, ubi est: *aliamque conectit maiorem insaniam e ligno;* maior enim insania e ligno idem est atque aedificium e ligno factum maiore insania. Hoc exemplum insequantur non minus memoratu digna: IX 94 *navigeram sibi prodidit Mutianus* i. e. aliud animal navi simile; vel XXI 13 *inde eductam custodiam bibere iussit* i. e. hominem custoditum e carcere eductum[1]); vel IX 30 *celeriter delphini exaudiunt desideria* i. e. nomina (simorum), quae amant, exaudiunt.

Denique ad illud transeam caput, quod iam attigit Grasberger[2]), qui protulit substantiva abstracta in -as vel -io exeuntia, quibus adiciatur genetivus, usitata esse pro adiectivis, cuius exemplis primum quidem haec addere mihi liceat: IX 64 *ex reliqua nobilitate* (piscium); *92 convertit in se custodum indignationem adsiduitate furti immodici;* X 156 *gallorum generositas spectatur;* XII 13 *hoc quoque in genere pumilionum infelicitas dicta erit;* XVII 172 *subtilitas parsimoniae compendia invenit.*

Deinde non solum per abstracta substantiva in -as et -io sed etiam in -a exeuntia effici dicendi brevitatem ex his cognosci potest exemplis XIV 125 *aceti enim nequitiae inest virtus;* XVI 135 *non ferunt amomi nardique deliciae* i. e. das liebliche Amomum und Nardum erträgt es nicht . . . zu wandern i. e. verpflanzt zu werden, *ex India peregrinari;* IX 34 *maxime tamen rostris canicularum maleficentia adsimulati.*

2. De appositione ex adiectivo conformata.

a) Adiectivum adhibetur eodem modo ac participium.

Nunc quidem dicam aliquid de appositione a Plinio adhibita, qua in re Plinii usum, quatenus eundem etiam apud classicos invenimus scriptores, neglegam, neque referam de illa appositione adiectivorum vice usitata, qua de re disseruit Grasberger[3]), qui docuit apud Plinium substantiva imprimis mobilia,

1) cf. I. Silligium ad hunc locum editionis suae.
2) cf. L. Grasb. l. l. p. 75.
3) cf. L. Grasb. l. l. p. 77.

quae dicuntur, in -tor et -trix exeuntia vicem obtinere adiectivorum velut XXXVII 201 *Italia rectrix parensque mundi altera*; vel VII 56 *adeoque tempestivam admirationem intulit, ut ille proscriptor animus* (Antonii triumviri). Hoc loco mihi in animo est disputare de appositione ex adiectivo conformata, quod miramur, cum alias appositio est substantivum, qui usus dicendi ex ea consuetudine ortus esse videtur, quam ipsam quoque apud Plinium invenimus; more enim rituque poetarum adiectiva appositionis loco breviter coniungit cum nominibus propriis. cf. VIII 144 *Volcatium nobilem, qui Cascellium ius civile docuit.* Porro praetermitto faciliores illos locos, qui exstant in omnibus libris Plinianis velut XXXV 111 *adnumeratur his et Nicophanes elegans ac concinnus ita, ut* etc., saepius in iis, qui de geographia, plantis atque animalibus agunt, libris velut IV 110 *a Pyrenaei promonturio Hispania incipit, angustior non Gallia; IX 48 melandrya vocantur quercus assulis similia;* XXVIII 119 *ex eadem similitudine est sincus . . . candidior autem et tenuiore cute;* imprimisque in libris de medicina agentibus. cf. VIII 111 *evomit fel suum ad multa medicamenta utile; XXXVIII 213 quod decoctum ius facit urinae utile,* quo maxime pertinet hoc exemplum XI 209 *et in muliere geminos sinus ab utraque parte laterum habet, funebres, quotiens versa spiritum inclusit.* Hoc dicendi genus, si conveniet meminisse, usitatum esse in scriptis medicorum his probetur exemplis e scriptis Celsi[1]), Scribonii[2]), Apicii Caelii[3]) collectis, cf. Celsi V 28, 13 *alterum est subalbidum, furunculo simile;* V 28, 15 *aspritudo quaedam fit, similis iis pusulis, quae* etc.; ibidem reperitur *intus exulceratio mucosa, colore humori suo similis;* ibid. 17 *alterum genus peius est, simile papulae fere, sed asprius rubicundiusque, figuras varias habens.* Scribonii LXXXII *malagma, ad strumas et omnem duritiem mirificum . . . recipit haec.* Ergo hos similesque locos neglegam, in quibus aliqua forma verbi *esse* oppressa esse potest.

Sed, ut ad propositum nostrum veniamus, Plinius hoc dicendi genus adeo auget, ut saepe adiectivum eodem modo adhibeat ac participium: cf. II 88 *nostri crinitas* (vocant) *horrentes crine sanguineo et comarum modo et verticem hispidas;* XXXVII

1) ed. C. Daremberg, Lipsiae 1859.
2) ed G. Helmreich, Lipsiae 1887.
3) ed. Chr. Schuch, Heidelbergae 1867.

132 *quae vocatur astrion, crystallo propinqua, in India nascens;* alii loci his sunt similes velut VIII 109 *easdem partes sibi ipsi Pontici amputant febri periculo urgente ob hoc se peti gnari* i. e. quod gnari sunt etc. Ergo appositio hoc loco exstat pro enuntiato causali, qui usus multo clarius etiam hoc exemplo demonstratur: agitur de aquis dulcibus, quae iuxta mare ut ex fistulis procedunt, quae dulces, ut ait Plinius, *mari invehuntur* (i. e. auf dem Meere schwimmen) *leviores haud dubie* i. e. quod leviores sunt, quae significatio etiam cognosci potest ex sequentibus verbis: *ideo et marinae* (aquae), *quarum natura gravior, magis invecta sustinent* (sc. quam aquae dulces).

b) Appositio enuntiatorum concessivorum vice fungitur.

Porro appositio enuntiatorum concessivorum vice fungitur his locis: VIII 112 *cervis quoque est sua malignitas, quamquam placidissimo animalium* i. e. quamquam placidissimum animal est; XXXVII 128 *has India fert, quamquam in duritia fragiles non ingratas;* 203 *duxerim Hispaniam, quocunque ambitur mari, quamquam squalidam ex parte;* XXIII 12 *saluberrimas putant medici in caelesti aqua servatas, etiamsi minime iucundas;* XII 42 *frutex est gravi et crassa radice sed brevi ac nigra fragilique, quamvis pingui* i. e. quamvis pinguis sit. Hoc loco coniunctione *quamvis* adiectivum *pinguis* non efferri, quem usum invenimus in Ciceronianis scriptis[1]), e verborum compositione cognosci potest. Ceterum eo, quod hae coniunctiones inde a Cicerone imprimisque a Livio, ut paulo infra docebimus, non nisi participiis adduntur, iterum demonstratur adiectiva a Plinio participiorum loco adhiberi.

Nescio an his locis addam id quod legimus XV 106 *namque in his* (sentitur sapor) *et austerus et acutus et dulcis et suavis, omnes alieni,* quae appositio ideo est inusitata, quod ante vocabulum *alieni*, quo appositio efficitur, positum est aliud, quod complectitur illa vocabula appositionem regentia, *omnes.* Compara etiam et contende mihi XXXV 123, ubi est *docuisse traditur Pausian Sicyonium, primum in hoc genere nobilem.*

1) A. Draegerum l. l. II p. 785 sq.

c) Appositio exstat pro enuntiato relativo.

Saepissime autem appositio exstat pro enuntiato relativo, quae res frequentissime in naturali historia nobis occurrit; sed tamen quae maxime oculos in se convertunt exempla insequantur, primum quidem exstantia in simplici expositione velut praef. 1 *iucundissime imperator, sit enim haec tui praefatio, verissima, dum maxime consenescit in patre;* IV 51 *cernunt eum* (i. e. scopulum) *ab dextra parte Andum navigantes ab Achaia, dirum ac pestiferum;* XXXVI 167 *Tiburtini, ad reliqua fortes, vapore dissiliunt.* Deinde, quae leguntur in libris de plantis, animalibus similibusque rebus agentibus velut XVII 33 (demonstrant) *rubricam oculis argillamque operi difficillimas;* XXIV 95 *palma Campano perhibetur, utensilibus vasis probatissimo;* XXXVI 146 *alterum androdamanta dicit vocari, colore nigrum, pondere ac duritia insignem;* XXXVII 162 *Gallaxian aliqui galactiten vocant, similem proxime dictis;* denique in iis, qui tractant medicinam. cf. XXXVI 146 *principatum dat ex iis Aethiopico, oculorum medicamentis utilissimo;* XXXVII 162 *eandem appellant et synechitim in attritu lactis, suco et vapore notabilem, in educatione nutricibus lactis fecundam.*

Interdum separatur appositio a substantivo de quo dependet, enuntiato secundario, ut eo magis desideremus enuntiatum primarium vel secundarium pro ea positum, qua in re iterum distinguendum est inter diversos libros. cf. ad primum genus haec pertinentia: XXXIV 39 *moles . . . videmus statuarum, quas colosseas vocant, turribus pares;* 62 *inter quae* (fecit) *destringentem se, quem M. Argrippa dicavit, mire gratum Tiberio principi.* Ad secundum genus referenda sunt haec: XXIII 98 *palma, quae fert myrobalanum, probatissima in Aegypto, ossa non habet;* XXXVI 149 *marem autem* (putant), *qui in Arabia nascatur, durum, gallae similem aut subrutilum;* denique medicorum more hoc dictum est; XXII 121 *hac decocta fit medicamentum, quod Aegypti atheram vocant, infantibus utilissimum;* XXIII 108 *ex acerbo fit medicamentum, quod stromatice vocatur, utilissimum oris vitiis.*

d) Appositionis vis augetur adverbio adiuncto.

Aliis locis augetur vis appositionis adverbio adiuncto. cf. praef. 1 *rerum natura . . . narratur et haec . . aut rusticis voca-*

bulis, aut externis, immo barbaris, quo loco ea quoque re effertur vocabulum appositionis, quod positum est in enuntiato exeunte; XIII 26 (palmae) *ferunt in maritimis Hispaniae fructum, verum immitem;* II 110 *mille sescentas adnotavere stellas, insignes scilicet effectu visuque;* V 84 *Ommam vocant inrumpentem, mox ubi perfregerit, Euphratem, ultra quoque saxosum et violentum;* VIII 28 *nunc dentium causa pedes eorum iaculantur, alioquin mollissimos;* 115 *dexterum cornu negant invenire ceu medicamento aliquo praeditum.* Similiter conformati sunt hi loci: XI 249 *homini genua et cubita contraria, item ursis et simiarum generi, ob id minime pernicibus;* praef. 18 *subsicivisque temporibus ista curamus, id est nocturnis.*

Secundus excursus.

1) De participio cum particulis coniuncto.

Quoniam in priore capite exposuimus coniunctiones *quamquam, quamvis* et adverbia similiaque coniungi a Plinio cum appositionibus, liceat mihi huic capiti aliud dicendi genus Plinianum addere, quod, quamquam non pertinet ad breviloquentiam, tamen insolentem praebet dicendi usum, cum Plinius, ut tempus accuratius significetur, adponere soleat adverbia *statim paulatim* aliaque participiis coniunctis atque absolutis, quae vocantur, Graecorum dicendi consuetudinem secutus, qui adverbia οὕτω, εὐθύς, ἅμα, μεταξύ aliaque adiciunt participiis, cum Cicero rarissime hoc genere dicendi utatur neque alia adverbia participiis addat nisi, ut tempus magis perspicue illustretur, *statim* cf. p. red. in sen. 9, 22 *Calidius statim designatus . . . declaravit.* Dubius est locus in orat. 10, 35, ubi est: *hoc sum aggressus statim Catone absoluto,* quod adverbium *statim* melius ad verbum finitum, quam ad ablativum absolutum trahi potest. Saepius nimirum haec dicendi consuetudo inest in scriptis Livii, qui utitur adverbiis *simul* e. g. 1, 26, 3, *statim* 24, 27, 4, *extemplo* 7, 39, 14[1]). Nec non hunc usum nobis occurrere in

1) cf. A. Draegerum l. l. II p. 785, R. Kuehnerum l. l. II p. 594, E. Guethlingium: De Titi Livii oratione disputatio, Liegnitz 1872 p. 10 sqq.

scriptis Plinianis his clare elucet exemplis, in quibus primum quidem, ut usum Ciceronianum primum constituamus, additur adverbium

statim: XIII 26 *sed statim evanescentem.*

Deinde insequantur ea exempla, in quibus more Liviano adicitur adverbium

paulatim: XXXVI 96 *paulatim exinaniens imos;* XXXVII 70 *paulatim viriditate evanida;* II 228 *mox paulatim tepescens.*

Praeter haec adverbia tempus significantia alia quoque participiis adiunguntur directionem aliquam, unde aliquid venit, atque, quae significatio inde translata est, causam alicuius rei illustrantia. Quam libere versatus sit Plinius iterum Livium secutus in hoc dicendi genere, his demonstretur exemplis, in quibus adiciuntur adverbia:

hinc: II 3 *occasiones hinc sumpta aut his data;* III 3 *hinc intranti dextera Africa est;* VII 212 *iam hinc ratione accedens.*

inde: XXX 15 *inde nominibus inventis;* 89 *salariis inde dictis;* III 134 *inde tracto nomine;* V 53 *inde Africam ab Aethiopia dispescens;* VII 144 *bonis inde etiam consecratis.*

subinde: XXXVII 136 *subinde mutans magnaque varietate admirationem sui augens;* 186 *subinde variata dispositione;* XXXII 45 *mero subinde hausto ita;* 78 *subinde spuma pinnis detersa;* item II 104; 246; VIII 117.

His exemplis addantur nonnulla alia participia cum coniunctionibus significatione relativa vel modali coniuncta, quae eodem modo ac priora raro inveniuntur apud scriptores classicos, qui dicuntur, eoque saepius nobis se praebent in scriptis posteriorum scriptorum, quo magis Romani in litteris et artibus imitati sunt Graecos; quarum coniunctionum in libris Ciceronianis reperitur *quamvis*, quam aeque posuit ante ablativum absolutum atque, ut iam supra commemoravi, ante adiectiva. cf. ad fam. 7, 3, 6 *qui si me audissent, quamvis iniqua pace honeste tamen viverent*, quo loco res eo minus habet offensionis, quod verbi ablativi absoluti vice exstat adiectivum. Ceterum neque Livius neque Plinius propagaverunt huius coniunctionis usum. cf. Livii 1, 4 *posse quamvis languida mergi aqua infantes,* vel Plinii II 181 *quamvis brevissimo die;* VII 54 *quamvis levi iniectu operto capite,* quoniam his quoque locis coniunctio *quamvis* exstat ante adiectivum.

Itidem excusanda est coniunctio *quamquam* semel a

Cicerone adhibita ante participium futuri passivi, quod dicitur, de fin. 5, 68 *si omnia illa, quae sunt extra, quamquam expetenda, summo bono continerentur,* fortasse ne verbum *sunt* iteretur, quo accedit, quod ne a Livio quidem, quod ego viderim, usurpatur coniunctio *quamquam* ante participium posita; unde apparet Plinium, qui nonnullis locis versatur in hoc usu, multo auxisse hanc consuetudinem, cum participia adnectit his coniunctionibus, ubi exspectamus verbum finitum, quare etiam efficitur breviloquentia quaedam, quam supra negavi.

quamquam: XXXVI 62 *quamquam et Mileti nascens;* XVI 7 *cedunt his murales vallaresque et aureae, quamquam pretio antecedentes;* V 15 *quamquam hiberno tempore experto;* 53 *quamquam rapida celeritate;* 84 *nec resistit, quamquam* XII *M pass. latitudine praevalens.*

Praeterea inde a Cicerone coniunctio *ut* ante participia poni coepta est. cf. Cic. inv. 1, 19 *narratio est rerum gestarum aut ut gestarum expositio;* Att. 2, 18, 3 *me tueor, ut oppressis omnibus, non demisse, ut tantis rebus gestis parum fortiter.* Porro e Caesaris libris duo afferuntur loci. cf. b. g. III 18, 4 *laeti ut explorata victoria sarmentis virgultisque collectis . . . ad castra pergunt*; V 43, 2 *hostes . . . sicuti parta iam atque explorata victoria turres . . . ascendere coeperunt.* Apud Livium usitatissima est haec structura grammatica[1]). E Plinianis libris commemorare mihi liceat hos locos: II 181 *ad occasum navigantes . . . vincunt spatia nocturnae navigationis ut solem ipsum comitantes*; V 51 *Nilus incertis ortus fontibus ut per deserta et ardentia et immenso longitudinis spatio ambulans.*

Iam has pertractavi coniunctiones neque ulla earum intacta relicta est, quae exstiterint apud Ciceronem omninoque apud scriptores classicos. Quae deinceps sequuntur, omnes primum inveniuntur in libris Livianis, ut in his exemplis appareat apud Plinium usus Livianus. Praeter allatas coniunctiones hae quoque coniunguntur cum participiis:

velut: XXXVII 128 *veluti per aurum sincero melle tralucente;* 188 *velut auro harenis admixto;* 191 *velut in petra candidis manibus inter se complexis;* 195 *velut ipsius naturae admirationem in iis venditantes;* XXXI 32 *velut ad infinitum coacta subtilitate;* II 202 *velut paria secum faciente natura;* 229 *Padi*

1) cf. E. Guethlingium l. l. et A. Draegerum l. l. II p. 786 sq.

fons . . . velut inquiescens semper aret; item VII 77; VIII 3; 50; 197.

tamquam: XXXIII 2 *tamquam parium benigna fertilique* (tellure); praef. 26 *tamquam inchoata semper arte et imperfecta;* VIII 180 *actusque in exsilium tamquam colono suo interempto;* XII 3 *ac sua numina tamquam e caelo attributa.*

praesertim: II 3 *tanto praesertim opere;* 59 *praesertim tanto discretus intervallo.*

Maxime commemorandus est hic locus, quo sequitur coniunctionem *quod* ablativus absolutus, ubi re vera nihil aliud exspectatur nisi verbum finitum; scripsit enim Plinius XXXVI 94 *etiamnum hoc minus mirum, quam quod flumine medium oppidum interfluente,* quo loco, quam libere usurpet Plinius participia, satis demonstratur. Sed, liceat mihi hoc quoque afferre, Plinius eo procedit licentiae huius structurae, ut participia verbi finiti vice fungantur. cf. IX 57 *itaque his mensibus iacent speluncis conditi . . . maxime hippurus, et coracini hieme non capti praeterquam statis diebus paucis;* 58 *et alioqui totum mare sentit exortum eius sideris, quod maxime in Bosporo apparet; alga enim et pisces superferuntur, omniaque ab imo versa;* 61 *asellorum duo genera, calloria minores et bacchi, qui non nisi in alto capiuntur, ideo praelati prioribus; phasianas vero interimit nisi pulverantes sese;* XI 255 *hominem qui existimarunt habere* (talos) *facile convicti,* i. e. convincuntur. Ergo plurimis his locis participium perfecti non iam re vera praebet perfecti significationem, sed est positum pro enuntiato relativo, cuius praedicatum in praesentis tempore est. Hac observatione nisus illum quoque locum dubium interpreter IX 111, ubi omnes praeter unum praebent codices: *illis captis facile ceteras palantes retibus includi, multo deinde obrutas sale in vasis fictilibus,* cum in d codice (Parisino saec. XIII) legamus: *multo deinde obruta sale* etc., quem errorem facile ea re ortum esse, (quod vocabulum *obrutas* exiit in litteram s atque sequens vocabulum *sale* incipit ab hac littera), verisimillimum est, ita ut a scriba altera s littera neglecta sit. Ergo lectio ceterorum codicum recta esse videtur. Cum autem hoc loco verbum deesse putaret, coniecit Detlefsenus: *multo deinde obrui eas sale,* quae coniectura ea re mihi recta non esse videtur, quod novum subiectum accusativi cum infinitivo non exspectatur, immo vero tolerabile non est pronomen „eas“ in usu Pliniano, qui, ut supra commemoravi, saepissime

omittit pronomen non antecedente tali adiectivo, quale est hoc loco *ceteras*. Me iudice hic *multo deinde obruias sale* idem est atque: quae deinde multo sale obruuntur.

2. De omissione particularum.

Illis, in quibus Plinius adicit coniunctionem, adverbium particulasque, locis tractatis commoveor, ut aliam loquendi brevitatem adiciam in eo positam, quod invicem hic scriptor, quas e sententiarum enuntiatorumque conexu exspectamus, particulas quasdam omittit. Saepissime desideratur particula

autem: praef. 20 *vos quidem diximus opere iusto, temporum nostrorum historiam orsi a fine Aufidi Bassi. Ubi* (autem) *sit, ea quaeres;* XXXIV 5 *ideo* (autem) *etiam deorum adscripta operi, cum proceres gentium claritatem et hac via quaererent.* Autem particula addita est a codd. B. S. I. id quod falsum esse videtur[1]); XXXVII 116 *optima, quae purpurae aliquid habet, secunda, quae rosae, tertia, quae smaragdi. Singuli* (sc. autem, quod adiciunt L. v.[2]). *Graeci nomina ex argumento dedere.* Et sic nimirum ubique Plinius, ut necessarium non sit plura afferre exempla.

enim: praef. 12 sq. *neque admittunt* (libelli) *excessus aut orationes sermonesve . . . sterili materia. Rerum* (enim) *natura . . . narratur;* 14 *praeterea iter est non trita auctoribus vita, ne qua peregrinari animus expetat. Nemo* (enim) *apud nos, qui;* IX 5 *aliter sparsis non erat evadere; non* (enim) *voce, non sonitu . . . sed fragore terrentur;* item 86; 97; bis 152.

propterea: XII 24 *sed et alias similis huic dulcior pomo, sed interaneorum valetudini infecta; ediderat* (propterea) *Alexander, ne quis . . . attingeret.* Sufficiant haec exempla, quae multis aliis augeri possunt.

---

1) cf. A. Felsium: De codicum antiquorum, in quibus Plinii naturalis historia ad nostra tempora propagata est, fatis, fide atque auctoritate commentatio, Gottingae 1861, p. 100.

2) cf. A. Felsium l. l. p. 102.

3) De coniunctione *et* idem significante atque *etiam*.

Restat, quoniam multa protulimus de particulis, ut, quam liber vel etiam creber sit usus coniunctionis *et* idem significantis atque *etiam*, ostendamus, cuius rei e prioribus scriptoribus tria modo inveniuntur exempla. cf. Catonem de agricultura 156 *eodem addito et oleum;* 157 *sic et laserpitium*, qui quidem locus est dubius[1]); Ennius ap. Festum s. v. solum: *simul et;* at inde a Cicerone crebrior hic dicendi usus imprimisque exstat in eius orationibus, apud Caesarem semel in b. g. III 13 *simul et Caesar appropinquare dicebatur,* quo loco *et* deletur a Nipperdeio; raro apud Sallustium[2]); sed in Livianis scriptis usitatissima est haec dicendi consuetudo[3]), neque minuitur a Plinio; nam eodem modo atque apud Livium et = etiam positum est ante quodlibet vocabulum. Inspicias velim, ut ex nube exemplorum ea, quae rem doceant clarissime, eligam, haec exempla: IX 8 *adparent et rotae appellatae a similitudine*; 36 *ferunt et pastum egressas;* 38 *sunt et terrestres;* 108 *si tempestive satientur, grandescere et partus;* 114 *capiuntque iam et pauperes;* 142 *concharum generis et pina est;* 166 *quod et in caesis serpentibus tradunt;* aliisque multis locis.

Insequantur nunc ea exempla, in quibus *et* positum est ante pronomina:

et aliud: IX 27 *Hegesidemus scribit et alium puerum . . . relatum esse*; 150 *sunt et aliae, sed superne concretae;* X 30 *cornices et alio pabulo*; 134 *est et alia nomine eodem;* 203 *ergo et alios quosdam sensus esse*; item XI 250; XII 39; 40; XVI 28; XVII 59.

et ipse: IX 101 *reconditi et ipsi;* X 28 *milui et ipsi hibernis mensibus latent;* 31 *sicut et corvi, qui et ipsi;* 143 *cum et ipsa habeat sua miracula;* 160 *et ipsae autem inter se*; 205 *asinos et ipsa odit*; item XI 26; 17; 65; 90; XII 68; XIII 19.

et ille: IX 109 *flavescunt tamen et illae senecta*; XXXI 115 *non hoc tantum argumento, sed et illo.*

---

1) cf. etiam indicem verborum in Varronis rerum rusticarum libros tres ed. Rich. Krumbiegel s. v. et = etiam.

2) cf. A. Draegerum l. l. II p. 28.

3) cf. L. Kuehnastium l. l. p. 371 sq.

Particula et = etiam posita est ante nomina propria his locis: IX 9 *et Nereidum* (forma) *falsa non est*; 28 *hoc auditum et Naupacti accidisse Theophrastus tradit*; 135 *unde et Homero*; X 7 *consentit et Boeus*; 71 *tradit et Fabius Pictor*; 75 *invocant et Aegyptii ibis suas*; item 137; 140; XVI 32; 58; 73.

quin et: II 141 *quin et repentinos existere ignes*; XVIII 10 *quin et in sacris nihil religiosius*; IX 21 *quin et adultos diu comitantur*; 33 *quin et parvas semper*; 114 *quin et pedibus*; 140 *quin et terrena miscere*; item 174; X 51; 110; 154.

sed et: IX 32 *nec piscibus tantum, sed et intrita panis*; X 44 *non gloriosum tantum animal hoc traditur, sed et malevolum*; 166 *nec columbae tantum, sed et gallinae*; XXXI 115 *non hoc tantum argumento, sed et illo*; 119 *non hominum modo sed et quadripedum*; aliis locis non antecedente membro correlativo: XIII 30 *sed et austera transit*; XV 107 *in quo sit et alienus quidem* (sapor), *sed et suus quidam*; XVI 31 *sed et boletos suillosque*; 106 *sed et terebinthos.*

verum et: his duobus exstat locis XVI 166 *non multitudine, verum et colore*; XVII 78 *verum et aspectu grata.*

III.

De neutrius generis adiectivorum substantivo usu.

Maximam autem in nominum usu brevitatem in neutrius generis adiectivorum substantivo usu positam esse quis est qui neget? Itaque quomodo Plinius adiectiva neutrius generis pro substantivis usurpaverit, perscrutraturus sum, qua in re neglegi non possunt ii viri doctissimi, qui antea in hac re observanda versati sunt summatimque exposuerunt velut

Ferd. Handius: Lehrbuch des lateinischen Stils p. 160 sqq.;

C. Frd. Naegelsbachius: Lateinische Stilistik p. 53;

Fr. Haasius: Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft ed. Eckstein, Lps. 1874 I p. 154;

A. Draeger: l. l. I p. 50 sqq.

Sed quae hi viri docti de hac re disseruerunt, mihi satis non esse videntur, qua de causa operae pretium esse arbitror denuo de hoc usu verba faciens; quamquam in dissertatione, quam ordini philosophorum tradidi, etiam pluribus de hoc capite disserui verbis, hoc loco haec tantum afferre possum.

Plinius aeque ac scriptores classici adiectivum substantivorum vice posuit; cum autem hi nominativum et accusativum frequentissime, casus obliquos, quibus forma et masculini et feminini et neutrius generis eadem est, rarissime adhibeant, Plinius hoc discrimen non observat.

1. De singulari numero.

Primum quidem aliquid dicam de singularis numeri adiectivis sine ullo attributo positis. Exordiar igitur

a) ab accusativo,

cum nominativi formae ne unum quidem exemplum invenire potuerim; attamen ne accusativus purus quidem ullo loco me iudice exstat, sed semper dependet ex praepositionibus, id quod apud classicos quoque scriptores observari potest, cum exceptis substantivis abstractis philosophi sermonis *honestum*, *bonum*, *utile*, *iustum* aliisque in nominativi et accusativi singularis forma rarissime adiectiva sine praepositionibus substantive ponantur. Tamen exstant nonnulla exempla Ciceroniana. cf. de nat. deor. 1, 1, 1 *falsum sentire;* in Verr. 4, 28, 64 *nunc reliquum attendite;* pro C. Rab. Post. 10, 29 *nihil nisi sempiternum spectare;* atque idem Cicero dicit oratione philosophica coactus Div. 2, 50, 103 *quod in rerum natura omne esse dicimus, id infinitum est.* Nec non exstare hunc usum apud Livium cognoscitur loco 28, 27, ubi scriptum videmus: *aut tranquillum aut procellae in vobis sunt,* quo tamen loco *tranquillum* non substantive positum, sed potius substantivum *mare* omissum facile suppletur propter sequens vocabulum procellae, cuius notio mari certe affinis est; immo vero rarissime versatur in hoc usu Tacitus, qui alias uberrime adiectivum substantivorum loco usurpat, ex quibus scriptis nonnulla modo invenit exempla Th. Panhoff[1]). Ergo a Plinio accusativus adiectivorum non nisi a praepositione dependens usurpatur substantive, quam dicendi consuetudinem iam observamus apud Ciceronem, saepius inde a Livio, cuius rei in sequentibus mihi liceat e scriptis Plinianis afferre exempla ita ut unoquoque loco, quatenus animadvertamus usum Ciceronianum vel Livianum, demonstrem. Liceat denique mihi commemorare adiectiva secundae declinationis a Plinio quoque multo saepius substantivi loco usurpari quam tertiae aeque atque a scriptoribus classicis, ut recte Naegelsbachius adiectiva tertiae declinationis substantive posita ad audaciam linguae Latinae rettulerit. Ex adiectivis secundae declinationis haec substantivi vice funguntur apud Plinium, quae Ciceroniano usui propiora sunt locumque significant:

1) cf. Th. Panhoffii: De neutrius generis adiectivorum substantivo usu apud Tacitum, Halae 1883.

immensum: XXXIII 126 *dilatatur in immensum magnitudo imaginum.* Hoc exstare adiectivum iam apud Ciceronem docuit Draeger[1]). cf. etiam Ovidii Met. II v. 220:

ardet in immensum geminatis ignibus Aetna,

vel Sallustii Iug. 92, 5 *in immensum editus* (mons), vel Livii, qui omnino adiectiva locum significantia saepius substantive usurpat quam tempus vel modum significantia 29, 25 *ita ad immensum speciem auget.*

publicum: XXXVI 112 *et ianua in publicum reiceretur;* II 94. Usitatissima est haec vox inde a Cicerone, ut necessarium non sit plura afferre exempla.

altum: primum quidem dictum est absolute pro mari alto. cf. XXXVII 3 *provectus navigia in altum;* III 76; 78; IV 113; V 23; XII 86; cf. Caes. b. g. VI 28. Hinc translate dictum est velut XXXI 39 *si expressa in altum aut e sublimi deverberatum corripiat aera.* cf. Cic. Tusc. IV 18 *in altumque provehitur imprudens;* idem de orat. 3, 6 atque deinde usitata est haec vox.

transversum: XXXVII 138 *alba nigraque macula in traversum distinguentibus crystallum;* III 120; IV 83; XVI 81; XXXVII 37; ceterum inde a Cicerone hoc adiectivum non nisi in ablativi forma substantive usurpatur. cf. Cic. ad Att. 15, 4 *ecce autem de traverso L. Caesar;* vel ad Her. 4, 10.

unum: XXXVII 152 *venarum coeuntibus lineis in unum;* in hoc quoque adiectivo substantivum loci iam inde a Cicerone opprimitur. cf. Cic. de leg. 2, 3 *rapideque dilapsus cito in unum confluit* (fluvius); Sall. Iug. 55, vel Livii 3, 8; plura exempla collegit A. Drakenborchius ad 28, 3, 9.

medium: XXXVII 174 *vena quemlibet colorem secante per medium;* XXXI 73; usitatissima inde a Cicerone est haec vox.

contrarium: II 185 *umbras . . . in contrarium cadere;* cum praepositione compositum raro exstat hoc adiectivum apud scriptores classicos, attamen absolute dictum est in Cic. Verr. I 120 *contrarium sine ulla religione decernebat.* Livius praebet etiam in contrarium 28: 30 *in contrarium tendere*[2]).

Liviano usui propiora sunt haec exempla:

---

1) cf. A. Draeg. l. l. ² I p. 55.

2) A. Draeg. l. l. ² I p. 56.

planum: XXXVI 2 *et rerum natura agitur in planum;* quamquam non exstat apud Ciceronem, attamen apud Sallustium in Iug. 53, apud Livium 2, 7.

artum: XXXVII 1 *in artum coacta . . . maiestas;* IV 76; VIII 44; primum nobis occurrit, quod equidem viderim, in Hor. art. poet. 134 *nec desilies imitator in artum,* unde nescio an fluxerit in orationem prosaicam Livianam. cf. 23, 27, 7 *armaque armis iungunt in artum compulsi,* atque deinde saepius.

directum: V 80 *altitudo per directum.* cf. Liv. 22, 47 *in directum niti.*

Plinii proprius esse videtur usus dextri atque laevi vocabuli. cf. VIII 207 *facilius litare in dextrum quam in laevum detorta* (cauda), cum priores scriptores dicant in dextram vel laevam sc. manum vel partem.

Tertiae declinationis versantur apud Plinium haec modo adiectiva:

omne: II 208 *per omne naturae.* Raro reperitur hoc adiectivum substantivo usu in bona latinitate, quamquam Cicero, ut iam supra commemoravi, scripsit Div. 2, 50, 103 oratione philosophica coactus: *quod in natura rerum omne esse dicimus, id infinitum est;* tamen non significat *omne* locum neque referri potest ad hoc caput.

sublime: XXXV 108 *Victoria quadrigam in sublime rapiens;* XXXI 57; II 11; 69; 111. Huius adiectivi substantivus usus neque reperitur apud Ciceronem, qui adhibet semper adverbium, cuius forma est *sublime*, quam lectionem optimi praebent codices, non *in sublime*[1]) neque apud Livium; substantivi loco apud auct. b. Afr. 84 primum legimus: *in sublime extollit armatum,* deinde apud Tacitum[2]) et apud Suetonium. cf. Claud. 27 *per lusum in sublime iactato* (piro).

Deinde insequantur ea adiectiva, quae vice substantivorum temporis significatione funguntur, cuius rei iterum apud Plinium rarius inveniuntur exempla quam apud priores scriptores. Secundae declinationis haec reperiuntur exempla:

---

1) cf. I. H. Schmalz, Antibarbarum s. v. sublimis et R. Kühnerum ad Tuscul. 1. 40.

2) cf. Th. Panhoffium l. l.

reliquum: II 23 *in reliquum vero otium datur,* quod adiectivum inde a Cicerone exstat pro reliquum tempus. cf. Cic. ad fam. X 7 *harum fructu in reliquum facias alacriorem;* Sall. Iug. 46; Liv. 36, 10.

futurum: VII 188 *eadem enim vanitas in futurum etiam se propagat;* VIII 68, quod inde a Livio usitatum esse videtur. cf. 27, 2 *timor in futurum erat.*

matutinum: XI 20 *quies in matutinum apibus;* II 36; neque Cicero neque Livius versari videntur in huius adiectivi usu substantivo. Item sequens adiectivum

meridianum: X 159 *post meridianum in matutina,* non nisi apud Plinium scriptum videmus.

Tertiae declinationis exstat adiectivum

praesens: IX 31 *et occidisse ad praesens contenti;* XXXII 112; VIII 80; XIII 3, quod usitatum est inde a Cicerone[1]).

Alterum horum adiectivorum genus constat ex iis vocibus, quibus res incertae notantur.

diversum: XXXVI 186 *binas per diversum coaxationes substerni.* cf. Cic. de fin. 4, 24, 67; Liv. 26, 5.

tantum: XXXIII 39 *sed in militia quoque in tantum adolevit haec luxuria;* XXXIV 48; 108; 120; XXXV 145; 153 multisque aliis locis, cuius generis ex prioribus scriptoribus afferri possunt exempla e Verg. Aen. VI 876 *nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos in tantum spe tollet avos,* vel e Liv. 22, 27 *in tantum suam felicitatem . . . enituisse.*

universum: III 8 *oram eam in universum origines Poenorum existimavit;* IV 2. cf. Liv. 9, 26.

plenum: IV 80 *ab eo in plenum . . . Scytharum sunt gentes;* VII 73; XII 70; XIII 31, qui usus quamquam non apud Ciceronem tamen apud Senecam occurrit. cf. Sen. ep. 91 *in plenum cogitanda fortuna est.*

totum: XXXIII 6 *utinamque posset e vita in totum abdicari;* XXXV 2; 4; XXXVI 44; XXXII 75; XXXI 90; I 45; cuius adiectivi usus substantivus admissus non fuisse videtur, nam usque adhuc modo apud Velleium inveni exemplum. cf. Vell. 2, 126, 2 *revocata in tantum fides.*

---

1) cf. A. Draeg. l. l. I p. 56.

b) De casibus obliquis.

Hos quoque casus a Plinio neglectos non esse iam supra paucis dixi. Eos autem omittam locos, quibus ex circumstantibus vocabulis satis intellegi potest, quod genus statuendum sit. Multo liberius est dicendi genus scriptoris his locis:

Genetivi exempla praeter genetivum partitivum velut quidquid boni, quae usitatissima sunt apud scriptores classicos, mihi non occurrerunt in naturali historia.

Dativum casum his locis invenimus II 2 *infinitus ac infinito similis* (est); ibid. *omnium rerum certus et similis incerto;* 102 *omne quod inani simile vitalem hunc spiritum fundit,* quae quidem exempla ea re excusanda sunt, quod agitur de re philosophica neque non multis locis, ut iam supra demonstravi, reperiuntur in scriptis philosophicis Ciceronianis, quibus exemplis hoc quoque adiciendum est XVII 48 *omnis autem marga arato* (agro) *inicienda est.*

Ablativum casum his legimus locis atque primum quidem id quod iam praebet Cicero

medio: XXXVII 183 *reddit . . . medio sanguineum* (sucum) *summo ochrum;* II 67; 171.

profundo: XXXII 143 *quae profundo natura mersit;* II 203 *in eadem et oppidum haustum profundo.* Afferre etiam liceat id quod proprium est Plinii: XXXVII 89 *nihil in sua sede interpellari alieno placet.*

Videamus nunc ea adiectiva, quae substantivorum tempora significantium vicibus funguntur.

Genetivus casus hoc probetur loco VII 190, ubi est: *ac duplicat obituri dolorem etiam post futuri aestimatione,* quod quidem adiectivum substantive usurpari a Livio supra iam diximus.

Ablativus casus primum apud Plinium his locis: XIX 37 *tenerrima* (tubera) *autem verno esse;* XI 86 *matutino;* item IX 36 *atque ut remeant matutino;* XI 116; 198; XXXVII 51; VII 181. Addo II 240 *viret aeterno . . . contegens fraxinus,* quod quidem aeterno iam exstat in oratione philosophica neque insolens dici potest.

c) De adiectivis ablativi forma exstantibus, quae e praepositionibus pendent.

Inspicias velim nunc ea adiectiva ablativi forma exstantia, quae e praepositionibus pendent, quamquam haec dicendi consuetudo non orditur a Plinio neque neglegitur a scriptoribus prioribus. cf. Liv. 21, 32, 7 *tamen ex propinquo visa montium altitudo;* 22, 7, 4 *quod nihil haustum ex vano velim*[1]). Hanc consuetudinem scribendi dictionum praepositionalium e Graeca lingua in Latinam fluxisse non solum demonstrant dictiones similiter formatae velut *ἐξ ἴσου, ἀγχιμόλου, ἐκ τοῦ φανεροῦ, ἐμφανοῦς, εὐθέος* aliaeque, sed etiam, quod hic dicendi modus augetur, ex quo scriptores classicae aetatis studium omne magis magisque contulerunt ad litteras sermonemque Graecorum[2]). Nunc autem primum quidem insequantur ea exempla, quae continent loci significationem neque non leguntur in libris Ciceronis.

in publico: XXXIII 12 *in publico tantum utebantur iis;* XXXV 12; 52; 127; in summo: XXXIII 98 *argenti venena in summo reperta;* XXXVI 31; II 248. cf. Cic. Div. 1, 17, 30 *incurvum et leviter a summo inflexum bacillum;* in excelso: XXXV 12 *placuitque in excelso spectari* (imagines). cf. Cic. Cat. III 8, 20 *in excelso collocare;* ex alto: XXXI 50 *quarum non in alto origo est;* 64; 131; XXXII 60; 113; 206. cf. Cic. Div. 1, 48, 108 *et simul ex alto longe pulcherrima . . . volavit avis;* e medio: XXXVII 149 *e medio aureo colore fulgentem;* 189; XXXI 107; II 176; 180; VIII 78. cf. Cic. Tusc. I 17, 40 *terra in medio mundi sita;* e profundo: XXXVII 199 *ficticiis pusula e profundo apparet;* II 156[3]); ex arido: II 222 *aut quia plurimis ex arido misceatur illi vapor.* cf. Caes. b. g. IV 24 *cum illi aut ex arido . . . tela conicerent;* ex relicto: II 172 *adde, quod ex relicto plus abstulit caelum.* cf. Cic. Brut. 72, 253 *nunc pro relicto est habendum;* in abdito: VIII 13 *pudore nunquam nisi in abdito coeunt,* quod adiectivum quamquam non exstat apud Ciceronem, tamen legimus Sen. de

1) cf. O. Riemannum: Etudes sur la langue et la grammaire de Tite Live, Paris 1879 p. 73 sq.

2) cf. A. Draeg. l. l. I p. 47.

3) cf. A. Draeg. I p. 55.

ira I 1 *et in abdito alere;* aeque atque ex obliquo: II 99 *sed ex obliquo* (cernuntur soles) non reperitur in usu Ciceroniano, sed in Ovid. rem. am. 121 *stultus ab obliquo, qui cum descendere possit, pugnat.*

Livianae consuetudinis more haec formata sunt exempla: in plano: XXXIII 76 *alius etiamnum in plano labor.* cf. Liv. 9, 26 *urbs sita est in plano*; e longinquo: XXXV 97 *e longinquo eadem res . . . austeritatem occulte daret*; XXXVI 83; X 61; XXXII 7; VII 174; hoc usitatum non esse videtur, quamquam saepe scriptum est ex propinquo. cf. Liv. 21, 32 *ex propinquo visa montium altitudo;* in sublimi: XXXVI 13 *Dianae facies in sublimi posita;* II 103; 165; VII 190; X 22. cf. supra s. v. sublime; in terreno: XXXVII 25 *non enim reperiri in terreno;* XXXI 164. cf. Liv. 23, 19 *quidquid herbidi terreni extra murum erat;* ex adverso: II 45 *ex adverso* (solis) *demum plena* (luna); 59; 80; II 224; III 11; 92[1]); e diverso: VIII 201 *duabus obviis e diverso*[2]); a turbido: II 85 *sed a turbido ad unam viciens centum milia stationum.* cf. Liv. 3, 40; in aperto: XII 22 *aliqui volantem in aperto*[3]).

Hae dictiones primum apud Plinium legi videntur: e longo: XXXVII 154 *stant velut suillum e longo;* in lubrico: XXXVI 95 *rursus ne in lubrico atque instabili fundamenta . . . locarentur;* in opaco: XXXVII 95 *quamvis in opaco;* 137; in candido: VIII 62 *pantheris in candido* (auf weissem Grunde) *breves macularum oculi* (sunt).

Multo rarius iterum exstant adiectiva substantivo usu, quae in ablativi casus forma significant tempora, quorum haec mihi se obtulerunt: VII 5 *uni* (homini) *sepulturae cura atque post se de futuro;* 143 *ut necesse erat in subito,* quod inde a Plauto (cf. Pers. 585: *si tibi subiti nihil est*) per totam vagatur linguam Latinam.

Sequuntur nunc ea adiectiva, quorum significatio ex tota enuntiati sententia cognosci potest: e liquido: XXXVII 68 *nec e liquido tralucidi;* ex toto: XXXVII 121 *quia sit quiddam in purpura illa non ex toto igneum;* II 2;

1) cf. I. H. Schmalzii Antibarbarum s. v. adversus.
2) cf. I. H. Schmalzii l. l. s. v. diversitas.
3) cf. A. Draeg. l. l. I p. 56.

III 3. cf. Cic. ad Att. 13, 20 *quidquamne me putas curare in toto;* de cetero: XXXI 37 *de cetero aquarum salubrium sapor odorve nullus esse debet;* 85. cf. Cic. de fin. 1, 7, 26 *de cetero vellem equidem aut ipse doctrinis fuisset instructior;* in incerto: II 173 *oceani rapina in incerto est,* quod saepius scripsit Sallust. cf. Iug. 38 *postremo fugere an manere, tutius foret, in incerto erat;* e contrario: XXXVII 33 *e contrario ex gelu ac nivibus saluberrimos potus praedicant;* VII 99. cf. Cic. de inv. 2, 8, 25 *defensor autem ex contrario primum dicat.*

Livii usus in his comparere videtur:

in promiscuo: XXXIII 26 *singuli Marcipores Luciporesve dominorum gentiles omnem victum in promiscuo habebant.* cf. Liv. 7, 17 *etiam dictaturam iam in promiscuo esse*; in secreto: XXXIII 40 *et in secreto margaritarum sacculi e collo dominarum auro dependent.* cf. Liv. 26, 19 *et plerumque solus in secreto ibi tempus tereret*; in expedito: IV 121 *ne quid non in expedito sit.* cf. Liv. 36, 16 *in expedito haberent iniegras copias ad opem ferendam*; ex aequo: V 73 *in diem ex aequo convenarum turba renascitur.* cf. Liv. 7, 36 *qui ex aequo nos venisse in amicitiam meminissemus.*

Plinii proprium esse videtur:

e diverso: XXXIV 29 *e diverso Annius Fetialis* (tradit); XXXV 113; II 135; 186; V 56[1]); in confracto: XXXV 127 *arte . . . ostendente et in confracto solida omnia.*

d) De adiectivis singularis numeri, e quibus genetivus vel dictio praepositionalis pendet.

Apud classicos scriptores orationis prosaicae adiunguntur adiectivis substantive positis non nisi pronomina. cf. Liv. 1, 29 *ultimum illud;* 23, 49 *in eo publico;* 4, 13 *cuius incerti vanique,* et numeralia. cf. Liv. 7, 26 *cetera necessaria;* 23, 10 *cetera magnifica promissa* vel genetivus ita quidem, ut hac constructione alicuius rei pars statuatur. cf. Weissenbornium ad Liv. 1, 57, 9, ubi legimus: *in aedium medio sedentem,* ad quod exemplum adnotat Weissenbornius in editione: Das neutrum adiectivi

1) cf. I. H. Schmalzium: Antibarb. s. v. diversitas.

mit einem Genetiv, wo die frühere Prosa gewöhnlich das attributive Adiectiv gebraucht, ist bei Livius sehr häufig, jedoch mit wenigen Ausnahmen (s. V 38, 4 in aequo campi) bei partitiven Verhältnissen, (s. 2, 45, 10 ad ultimum seditionis, 2, 64, 11 reliquum noctis; 3, 72, 7 reliquum anni). Sed imperatoriae aetatis poetae et inde a Livio rerum scriptores laxius hoc dicendi genere utuntur, cum cuiuslibet significationis genetivum dependentem faciunt de adiectivo substantive usurpato, cuius rei exempla e libris Augusteae aetatis scriptorum collegit praeter alios O. Riemannus l. l. p. 204 et 77. Nonnulla quoque invenies apud Thom. Ruddimannum in opere: institutiones grammaticae, ubi agitur de regimine p. 65 not. 4. Quousque Plinius hanc usurpaverit structuram, quae insequantur doceant exempla, primumque hic genetivus pendet ex adiectivis, quibus loca significantur: XVIII 18 *immensumque terrarum adiectum imperio;* XVIII 39 *summum providentiae;* II 102 *infinitum ex superiore natura aeris, infinitum et terreni halituus miscens.* Usque adhuc nihil inest offensionis in his exemplis, cum non pertineant nisi ad adiectiva secundae declinationis nihil aliud significantia (simili modo ac multum) nisi modum vel partem, quare genetivus semper est genetivus partitivus, cuius rei exempla collegit e scriptis Ciceronianis et Livianis Naegelsbachius l. l. p. 59.

Interdum ante haec adiectiva praepositiones positae sunt, quem usum scriptores Latini classici usque ad Livium rarissime adhibent neque iterum in aliis adiectivis atque, ut iam supra commemoravi, significatione partitiva. Sed Plinius saepe hanc structuram adhibet non neglecto usu classicorum scriptorum cf. velut II 86 *in medio solis et terrae;* 103 *et terram in medio mundi undique impellunt;* XII 52 *in medio eius sunt fere Astramitae.* Tempus significans hoc legimus II 228 *ad medium noctis exuberat.*

Insolentiores esse videntur loci XXXIII 70 *e profundo maris petere margaritas;* nisus hoc loco lectionemque codicum vulgarium sententiamque C. Mayhoffii secutus his exemplis adiungere audeo XII 2 *unionem in Rubri maris profundo* (quaeri), cum ex locutione e profundo mari vel, quod legimus etiam omnibus linguae Latinae temporibus, e profundo (sc. mari) illud „e profundo maris“ ortum est, dum ablativus substantivi, qui supplendus erat, a Plinio in genetivi forma adicitur. Hinc egressus deinde scripsit II 62 *per profundum aeris.* In his quo-

que quae sequuntur exemplis excedit Plinius ex usu vulgari. cf. III 7 *cuius ex adverso Gadis inter insulas dicendae;* IV 11 *colonia condita ex adverso Aetoliae et fluminis Eveni;* item 30; 48; 52; IV 62; 70; II 68 *quamdiu in vicino sunt terrae;* XXX 13 *ad naturae inane.*

Hic mihi liceat breviter excurrens demonstrare etiam pronomen demonstrativum vice substantivi, de quo dependet genetivus, exstare his locis: V 58 *ad hoc aevi,* idem legimus VIII 137; VIII 190, quibuscum locis fortasse conferendum sit primum quidem illud Livii genus dicendi: *deiecta in id sors esset* vel 28, 17 *in id fide accepta,* deinde 5, 15 *ad id voluntatis,* qui usus etiam invenitur apud Sallustium: *ad id locorum*[1]).

Quantopere omnino Plinius adiectiva neutrius generis substantive posita coniungere cum alicuius nominis genetivo adamaverit, his quoque probetur exemplis: II 208 *aliud causae;* XXX 142 *aliud argenti;* XXXIII 142 *neque aliud habuisse argenti.*

Etiam adiectivorum obliquum casum sequitur genetivus: II 10 *medio spatii;* 190 *medio vero terrae;* II 129 *medio diei et noctis,* quae quidem omnia videlicet regunt genetivum partitivum. Insolentiores sunt hi loci: II 213 *ut ancillantes siderum avido;* XVII 7 *postquam civilium bellorum profano meritum coepit videri, civem non occidisse.*

Dictio praepositionalis pro genetivo posita sequitur adiectivum his locis: IV 22 *at in transversum ab Elide Epidaurum;* IV 111 *medio inter haec.*

2. De plurali numero.

a) de nominativi et accusativi casibus.

Idem usus adiectivorum neutrius generis multo saepius adhibetur in plurali numero et a classicis scriptoribus Romanis et a Plinio, quo in plurali numero plura inveniuntur exempla in nominativi et accusativi casu nulla praepositione addita; quae quamquam omnia fere iam reperiuntur apud priores scriptores, tamen in sequenti indice composui ac primum quidem exempla

1) cf. L. Kühnastium l. l. p. 50.

locum significantia, quorum haec iam legimus in usu Ciceroniano: mediterranea XVII 18; media II 163; montuosa II 194; XVII 18; extrema II 218; ulteriora II 246; superiora IV 80; aversa IV 81; interiora V 81; invia VIII 115; praerupta VIII 156.

Praeterea haec quoque adiectiva Plinius usurpat substantive: aprica XVI 71; *amat frigida, aprica,* cum alias modo legitur in apricum. cf. Horat. ep. I 6, 24 *in apricum proferet aetas,* vel Columellae de re rust. XI 3 *rutam . . . differre oportet in apricum;* rigentia II 135; sitientia XIII 28.

Cum praepositionibus accusativum regentibus haec coniunguntur adiectiva more rituque Ciceronis XXXIII 76 *per praerupta suspenduntur*; VIII 113 *ad praerupta ducunt*; XXXI 35 *in longinqua comitantnr illos*; II 165 *in interiora nitantur*; II 165 *in inferiora aquae ferantur*; XI 199 *laxitas cum in inferiora transmittit*; II 166 *ut in summa exsiliat*; III 53 *sed Tiberius propter aspera et confragosa . . . longe meabilis fertur*; VIII 117 *in aperta procedunt*; VIII 158 *Phylarchus refert . . . illum* (equum) *praecipitem in abrupta isse*; XII 52 *decurruntque et in plana arbores sponte natae*; IX 63 *irrumpunt ergo in secreta.*

Liceat mihi, ut demonstrem Livium quoque usum esse hac dicendi consuetudine, nonnulla exempla conferre, quae collegit O. Riemannus l. l. p. 69: 25, 30 *opportuna* (= opportuna loca) *dividenda praefectis esse*; 30, 5 *proxima quaeque et deinceps continua amplexus*; 25, 13 *per ardua*; 29, 32 *per obliqua*; 38, 20 *siqua periculosa et praerupta occurrant.*

Alterum horum adiectivorum genus continet temporis significationes, in quibus, quod substantivum intellegendum sit, ex sententiarum conexu apparet.

futura: II 208 *quorum exhalatione temulenti futura praecinant*; VIII 185 *hi greges . . . futura praecinunt.* cf. Cic. Div. 30, 63 *futura praevidet.*

praescita: II 82 *praescita secum adferens,* quo utitur Livius quoque.

Cum praepositionibus, quas sequitur accusativus, haec exempla coniunguntur:

X 159 *post meridianum in matutina;* II 27 *nulumque habere in praeterita ius.* cf. Cic. Fat. 7 *nec in falsum e vero praeterita possunt converti;* Caes. b. g. I 20 *praeterita se fracti condonare dicit.*

Deinde accedo ad ea adiectiva, quae pro substantivis infinitae significationis usurpata sunt; eiusmodi adiectiva pertinent ad casus quosdam vitae humanae:

XI 69 *ut prospere inimica ac fortuita cedant;* XXXVI 171 *reliqua fortuita conlocant;* VII 52 *in qua credantur multa fortuita pollere;* VIII 185 *in altero* (delubro) *dira portendit.*

His exemplis addam alia adiectiva infinitae significationis.

IV 4 *mirabilis* (Acheron) *omnia sua mirantibus;* XXXVII 172 *ut inutilia exterantur;* II 11 *et levia ponderibus inhiberi;* II 11 *contraque gravia ne ruant suspendi;* XXXIII 62 *super cetera non rubigo ulla non aerugo;* XXXIII 67 *ante omnia segutilum tollunt;* 72 *nisi quod inter omnia auri fames durissima est;* 104 *ante omnia autem urendi modus necessarius est;* item XXXV 71; 126.

b) De casibus obliquis.

Cum iam priorum exemplorum multa similia nobis occurrant in libris Ciceronis, eidem scriptori, quamvis rara, tamen non ignota sunt exempla, in quibus adiectiva pluralis numeri substantive usurpantur in casibus obliquis, in quibus non discerni potest genus adiectivi. Nec non desunt eiusmodi exempla in libris Livianis, quamquam ne hic quidem scriptor saepe versatur in hoc usu. E naturali historia hos collegi locos:

XXXVII 155 *futurorum divinationem praestare promittit.* Ablativum invenimus

XVI 75 *gaudet frigidis sorbus;* 156 *inter ea, quae frigidis gaudent;* XXXVII 203 *exceptis Indiae fabolusis;* II 11 *levibus in sublime tendentibus;* 67 *Mars stella quattuor mediis;* XII 132 *optima circa Cnidum et Cariam in sitientibus aut siccis asperisque;* XIII 28 *gaudet riguis;* XX 186 *factoremque tollit manducatum* (onesum) *matutinis;* XXI 36 *omnis autem* (rosarum odor) *verno tempore acrior et matutinis;* item XXVIII 4; X 121; IV 90; VIII 119; I 101 *hominum quoque capita vespertinis . . . circumfulgent.*

c) De adiectivis pluralis numeri, e quibus genetivus vel dictio praepositionalis pendet.

Eodem modo, quo adiectiva singularis numeri neutrius generis sequitur genetivus, pendet genetivus ex adiectivis pluralis numeri ac primum quidem ex iis adiectivis, quibus loca quaedam significantur, in quibus exemplis iterum genetivi partitivi principalem obtinent locum:

XXXV 67 *extrema corporum*; VIII 93 *tenentes extrema eius* (clavae). cf. Livii 6, 32 *extrema agminis*; XXXI 75 *sed et summa fluminum densantur*; XXXII 64 *summa montium et maris ima miscens*; XXXI 92 *ima faecis concutiuntur*; IV 40 *ad Mestum flumen ima Pangaei montis ambientem*; II 1 *huius extera indagare*; 4 *tamquam interna eius . . . nota sint*; 172 *vero media terrarum . . . vapore torrentur*; IV 91 *reliqua huius sinus dicantur*; IV 94 *ut extera Europae dicantur.*

His adiungantur alii genetivi:

XXXI 52 *totiens et Nili rigua* (Strackius: die durch den Nil überschwemmten Teile); IV 41 *aversa eius et in Histrum devexa Moesi . . . optinent.*

Alterum horum adiectivorum genus constat ex iis vocibus, quibus res infinitae notantur. cf. ea, quae sequitur genetivus partitivus:

XXXIII 13 *alia muliebris cultus*; II 77 *multa promi possunt secreta naturae*; XI 108 *plurima insectorum*; II 102 *nun reliqua caeli memorabilia*; II 152 *cetera eiusdem naturae*; alius genetivus exstat XIII 8 *mollia panis.*

Haec adiectiva cum praepositionibus coniunguntur; adiectiva loci cum genetivo partitivo: IX 145 *ad infima liniae*; IX 5 *ad summa audaciae pervenire*; XXXII 1 *ventum est ad summa naturae exemplorumque*; IX 35 *in summa pelagi*; II 10 *per cuncta rerum meabilem* (Strackius: alle Räume durchdringend); II 101 *si in carinae ima deciderint*; 212 *ad caeli ima*; II 169 *ad extera Europae noscenda missus*; 188 *circa media sui*; III 67 *ad extrema vero tectorum*; V 10 *in extremis Mauretaniae*; VIII 31 *in extremis Africae.*

Alii genetivi his inveniuntur locis:

V 7 *in vicina lunaris circuli*; VII 24 *in meridianis Indiae*; XXXI 78 *per Africae sitientia;* 50 *dein maximo aestu in excelsioribus oppidi riget* (aqua); XXXVII 110 *nascitur post aversa Indiae.*

Temporis significationem continent haec exempla:

II 128 *tepescens ad noctis media fervore*; XVI 36 *circa suprema Neronis.* Similiter sequitur genetivus adiectivum obliqui casus tempus significans: II 219 *mediis temporum immobiles* (putei); 232 *et nostra vidit aetas Neronis principis supremis*; VII 33 *proxime supremis divi Augusti.*

Mirum mihi esse videtur memoratuque dignum, si pro genetivo sequitur adiectivum substantive positum dativus, qui solet pendere ex ipso adiectivo, quem usum iam invenimus apud Livium. cf. 21, 11 *patentia ruinis.* Apud Plinium legimus IV 80 *variae* (gentes) *litori adposita tenuere*; II 212 *ad caeli ima et meridiano contraria accedente* (luna); VIII 112 *in pariendo semitas minus cavent humanis vestigiis tritas, quam secreta et feris opportuna.*

Interdum quoque ex adiectivo pendet dictio praepositionalis. cf. XXXIII 94, ubi est: *contexique par est reliqua circa hoc* i. e. reliqua huius generis, quae structura fortasse orta sit ex ea, cui similis est, quae adnectit substantivis dictionem praepositionalem nullo participio adiuncto velut XXXII 81 *calicem ex electro.* Huc pertinent quoque IV 148 *nunc reliqua in ora* II 31 *reliqua inter caelum terrasque.*

Iam supra docuimus saepe ex sententiarum conexu, quod substantivum in hoc adiectivorum usu intellegendum esset, elucere, neque minus hoc fit in illa, de qua nunc disputabo loquendi consuetudine. Non raro enim Plinius verbis transitivis loco subiecti vel obiecti substantivi adiectivum neutrius generis addit. Qualis substantivi notio in his lateat adiectivis, ex verbo praedicativo, ex quo adiectivum pendet, vel ex toto enuntiato cognosci solet. cf.

IX 18 *accedunt apud me certe efficacia* (i. e. certae efficaces causae), *ut credam* etc. XXXV 67 *Parrhasius . . . et ipse multa contulit* i. e. multas novas picturae normas; sequuntur enim verba *primus symmetriam picturae dedit.* Idem fere legimus 79 *picturae plura solus . . . contulit.* In libris de medicina agentibus exstant XXXI 9 *in Aenaria insula calculosis mederi* sc. doloribus; VII 20 *cuius tactu lienosis medebatur.*

IV. De verborum omissione.

Sed accedamus nunc ad verborum omissionem, de qua scilicet iam disseruerunt alii viri doctissimi[1]). Attamen si denuo hanc rem pertractaturus sum, non rem actam agere videor, praesertim cum illi (Muel. Grasb. Mayh.) minus subtiliter distinxerint singula capita, Draegerus autem quamquam per multas paginas plurimos scriptores Romanos in quaestionem revocat subtilissimasque facit distinctiones, tamen ex Plinianis scriptis modo unum vel alterum afferat exemplum. Estne tandem Plinius non adnumerandus testibus orationis prosaicae, ut in progressu historiaque linguae Latinae non obtineat suum locum? Est sane; nam omnia scripta Latina neque vero minus opus naturalis historiae observatione digna et a nobis, si plene propositum nostrum tractare volumus, perscrutanda sunt; atque haec disputatiuncula illam syntaxim, quae vocatur, linguae Latinae a Draegero scriptam multis ex Plinii scriptis collectis exemplis augeri posse demonstrabit.

Sed procedamus ad propositum nostrum atque primum quidem ad ea verba, quae in brevibus enuntiatis omittuntur neque alia ulla dictione indicantur.

1) Supplendae sunt formae verbi esse.

De verbo esse simpliciter omisso hoc loco agere in animo non habeo, cum hanc rem iam multi viri doctissimi tractaverint[2]); hoc tantum dicturus sum, quod quidem maxime sit memorabile, quibus in locis

1) I. Mueller l. l., L. Grasberger, C. Mayhoffius atque A. Draeger l. l. [2] I p. 195.

2) L. Grasberger l. l. p. 12 sq., I. Mueller l. l. p. 80, C. Mayhoffius l. l. p. 28 sq.

a) in compluribus enuntiatis primariis vel secundariis sequentibus

illud verbum desideretur primum quidem

α) eadem forma.

Inspicias velim IX 105 *quid mari cum vestibus, quid undis fluctibusque cum vellere?* Saepissime opprimitur in libris naturam describentibus, ut multis locis non iam compositio continua, sed modo enumeratio efficiatur. cf. IX 2 *alias sors alitum, quibus vita pendentibus;* 41 *ipsis in sono mugitus, unde nomen vituli*; 146 *vis pruritu mordax eademque, quae terrestris urticae*; X 117 *capiti eius duritia eadem, quae rostro;* XI 70 *et tamen in fetu eadem prope natura, quae apibus*; XII 14 *peregrinae et cerasi Persicaeque et omnes, quarum Graeca nomina aut aliena;* et in libris medicinam tractantibus. cf. IX 133 *cui addi salem necessarium, sextarios ferme centenas in libras; mucerari triduo iustum quippe tanto maior vis, quanto recentior,* cum ne medicamentorum quidem scriptores tam laxe absoluteque scripserint neque alia eius rei exempla praebeant atque quae in Scribonii c. 118 legimus: *emplastrum aliud ex sale nigrum efficacius*; *idem ad omnia fecit* similiaque.

Eodem modo in sequenti capite, quo exponitur verbum esse in singulis enuntiatis desiderari

β) alia forma,

omnia usque ad unum exempla referunt de rebus naturae. cf. IX 83 *his caput inter pedes et ventrem, pediculi octoni omnibus, saepiae et lolligini pedes duo*; X 165 *hirundini caeci primo pulli et fere omnibus, quibus numerosior fetus;* XI 92 *similis cicadis vita, quarum duo genera*; et sic ubique fere scripsit Plinius, ut longum sit plura addere exempla. Apud Ciceronem, ut priorum quoque scriptorum hac in re consuetudinem perstringamus, deficit verbum esse modo in enuntiatis primariis, in infinitivo, in interrogationibus rectis et obliquis, rarius in enuntiatis secundariis. Insolens ellipsis est in nat. d. I 24, 68 *sint sane ex atomis, non igitur aeterni, quod enim ex atomis, id natum*

aliquando, si natum nulli dii ante quam nati[1]). Apud Livium desideramus saepe formas verbi esse in participio futuri, in coniunctivo atque imperfecto indicativi, sed semper tam faciles sunt eiusmodi loci, ut observari non possit exempla huius omissionis cumulari vel consulto peti. Deinde neque apud Caesarem neque apud Sallustium insolentia legimus exempla, cum durae sint saepe apud Curtium Rufum omissiones formarum *erat* et *erant*. cf. V 10, 6: *M et D mercede conducti et Agriani fere M Tauroni praefecto dati ac post solis occasum iter ingredi iussi* (erant). Quatenus Plinius propagaverit hanc ellipsin exempla supra allata demonstrant.

b) in enuntiatis primariis vel secundariis indicatae

α) dictione praepositionali.

His exemplis addere mihi liceat illos locos, quibus in enuntiatis primariis et secundariis verbum esse dictione praepositionali indicatum deficit. Dictiones eiusmodi conformatae sunt praepositione

ex: IX 139 *sed alia e fine initia*; XI 130 *atque etiam nomina ex eo Capillatis Alpium incolis, Galliae comatae;* 145 *neque ulla ex parte maiora animi indicia cunctis animalibus.*

ab: IX 136 *ab iis Flaccorum cognomina*; 200 *ab hoc ventriculo lactes in ove et homine, per quas labitur cibus, in ceteris hillae, a quibus intestina ad alvom.* Ellipsis primi exempli: *sed alia e fine initia* non est insolens, quoniam enuntiatum vulgare est, in quo eodem modo atque in proverbiis supprimitur verbum. cf. Cic. de fin. 2, 32 *iucundi acti labores*; Lael. 21 *omnia praeclara rara.* Porro his locis illi Ciceroniani conferendi sunt: in or. pr. Deiot. 8, 24 *nihil ad tuum equitatum,* vel quod legimus in nat. d. 1, 26 in interrogatione recta: *quid enim in physicis Epicuri non a Democrito?*

β) coniunctionibus.

Alia enuntiata secundaria et primaria introducuntur coniunctionibus, qui quidem usus quamquam non tam saepe, tamen his vel illis locis adhibetur a Cicerone.

1) cf. A. Draeg. l. l. ² I p. 197 sq.

inde: XVIII 10 *cognomina etiam prima inde;* X 54 *et inde crimina plerumque auxilium praefectis;* XVII 103 *inde et surculi;* XI 7 *inde illa* XII *tabularum lex;* XXII 74 *alii olus maritimum esse dixere salsum et inde nomen.*

unde: IX 41 *ipsis in sono mugitus, unde nomen vituli;* X 203 *unde et adfectus;* XI 150 *unde cognomina Strabonum et Paetarum;* 187; XV 7; XVII 218. cf. Cic. Phil. 14, 5 *unde igitur ista suspicio vel potius unde sermo,* quod quidem raro scriptum videmus apud classicos scriptores neque alias nisi in sermone elato vel in exclamatione iniqua.

hinc: X 66 *hinc illa gentium totque linguarum toto orbe diversitas, hinc tot cantus et moduli flexionesque;* XII 1 *hinc primum alimenta;* XIV 142; XVI 7. cf. Cic. p. Cael. 25 *hinc illae lacrimae,* quod fluxit ex Terentio.

2. Supplenda sunt verba oriendi vel movendi iisdem dictionibus praepositionalibus vel coniunctionibus indicata.

Posteriora haec exempla me hortantur, ut transeam ad illos locos, quibus in hisce enuntiatis re vera verbum oriendi vel movendi deest. Inspicias velim XII 90 *omnia haec ex albo;* XXXII 28 *efficacissimi* (hammoniaci) *e Ponto Galatiaque, mox Africa;* XXXIV 34 *unde luxuria* (sc. orta est); III 60 *hinc felix illa Campania* (sc. incipit; cf. enim praeter alia exempla III 60, ubi est: *ab hoc sinu incipiunt vitiferi colles,* vel 71 *a Siluro regio tertia . . . incipit);* XXXIV 1 *hinc aera militum, tribuni aerarii et aerarium, obaerati, aere diruti* sc. orta sunt vocabula. Quae verba movendi in comoediis Plautinis non deesse videntur, attamen in Terentianis. cf. And. 361 *ego me continuo ad Chremem* (confero), multo saepius in Ciceronianis scriptis imprimisque in eius epistulis. cf. ad fam. 16, 17 *nam ego hinc perendie mane cogito* (abire); ad Att. 12, 41; nec non deficiunt in aliis eius scriptis. cf. de fin. 5, 1 *itaque ad tempus ad Pisonem omnes* (venimus). Si omnino, quatenus quamque libere versatus sit in hoc usu Cicero[1]), cogitamus, illi loci Pliniani nihil habent

1) cf. Draeg. l. l. ² I p. 200.

in se offensionis, quo accedunt illa quoque medicinarum exempla velut XXIII 144 *capitis dolori inlinuntur, maximeque in febri, si ab ebrietate* sc. ortus est dolor: in quibus, quod is erat omnino sermo medicorum, fere non sentiebatur omissio verbi, itaque exempla eiusmodi plura non addam. His duobus locis durior quidem est ellipsis verbi movendi XVI 128: (radix) *oleae malisque et cupressis per summa caespitum, aliis recto meatu, ut lauro* (sc. it); et XVII 219 *aliquando et pestilentia per genera* (it).

3. Supplendae sunt formae verborum fieri, evenire, accidere.

Proxima illi verbi esse omissioni est ellipsis verborum fieri, evenire, accidere variis in enuntiatis. In brevibus enuntiatis, quae constant ex sententiis adverbialibus, omnibus linguae Latinae temporibus haec verba omittuntur. cf. Cic. pro Rosc. Am. 39 *quid postea*; Liv. 4, 4 *quid postea*; quo pertinent haec Pliniana exempla XVII 144 *sicut antea*; XXXIII 147 *idque iam pridem*; IX 158 *atque ita, si prior fetus corruptus est*; XI 26 *sic et in homine.* His brevibus enuntiatis, in quibus adverbio indicatur praedicatum, addi possunt, ut demonstretur hanc breviloquentiam observari posse etiam in longioribus enuntiatis, haec: II 70 *multo id magis in vespertino earum exortu*; XVI 41 *similiter abieti* (evenit) *expetitae navigiis.* Aliis locis praeter adverbium indicat praedicatum dictio praepositionalis: XXXVII 22 *ut in corpore etiam*; II 136 *quod non in alio sito*; IX 138 *in conchyliata veste cetera eadem sine bucino*; vel dativo XXXII 27 *quod nulli animalium* (evenit); XI 278 *Parthorum populis hoc praecipue et a iuventa propter indiscretos cibos*; vel ablativo XI 26 *et hoc castrorum more* (fit). Cum multis his locis obiecto quoque prodatur verbum quod deest, huc pertinet illud, quod legimus in Liv. 9, 9, 6 *dii meliora* (sc. faciant).

Ad hoc caput spectant quoque XXXI 28 *aliter circa Thessalica Tempe* (res se habet) et XXXIV 19 *serum hoc . . . sicut elephanti* sc. in usu erant.

4. Formae aliorum verborum.

Multo autem durior verborum ellipsis esse videtur his locis; supplenda enim sunt haec verba:

efficere: X 140 *postea culinarum artes* sc. efficiunt.

augere: X 187 *proventus eorum siccitatibus* sc. augetur.

invenire: XV 136 *intrepideque miranti accessit miraculum, quoniam tenentem rostro laureum ramum onustum suis bacis* sc. invenit.

opprimere: XVII 219 *sicut inter homines nunc servitia nunc plebes urbana vel rustica* sc. opprimuntur pestilentia.

edere: II 94 *haec ille in publicum* sc. edidit.

constituere vel ponere: XI 105 *desertoris poena in eum* sc. constituta est, *qui cessaverit.*

gignere: XVI 114 *sequens eius fructus post arcturum in apricis maximeque* sc. gignitur.

collocare: XVII 61 *in sulco repastinato palmi altitudine vicenae fere acervatim mense Martio* sc. collocantur.

ducere: XXI 180 *atque etiam opio velocius ad mortem* sc. ducit, quod quidem medicorum ritu dictum minus est difficile aeque atque haec exempla:

valere: XXII 60 *vis ad omnia venenata et phalangia, sed contra scorpiones praecipue inlita* sc. valet. cf. Scrib. c. XXXIII *collyrium ad caliginem et aspritudinem* sc. bene facit i. e. valet; nam cf. XXXII *ad caliginem . . . facit hoc* collyrium bene. Item XXXV; XXXVII; XXXVIII.

dare: XXII 122 *ad multipedae morsus cum melle, ad serpentium cum aceto et contra suppurantia, ad extrahendas suppurationes* sc. datur; nam cf. XXII 130; attamen suppleri potest etiam *prodest* vel tale quid, quod idem commonefacit de dicendi consuetudine medicorum. cf. Scrib. c. CCXLIII *ad papulas in capite effervescentes* etc.

parare: XXXIII 163 *fraus* i. e. caeruleum adulteratum (unechtes Blau) *viola arida decocta in aqua* sc. paratur, quocum com-

pares Apicii II 56 *lucanicas similiter* sc. facies, ut supra scriptum est; III 73 *tritum piper . . . liquamen et oleum* sc. compones, idem c. 74, 75, 76, 80 *malvas minores de grano ex liquamine et oleo* (sc. obligas vel superfundis) *acetum* (sc. addis)[1]; qua re neque insolens est omissio verbi sanandi hoc loco XXXIV 129 *convenit oculorum medicamentis*; *quibuscum vitiis occurrens et ad omnia, quae spodos* sc. sanat.

Infinitivus desideratur XVIII 22 *peritisque Punice,* sc. loqui, *dandum negotium*[2]. A Cicerone eodem modo omitti verba, quae non ad certum caput trahi possunt, immo vero nonnullis locis tam duram esse ellipsin verborum, ut ex sententiarum conexu conicienda sint velut ad Att. 13, 22, 4 *atque utinam tu quoque eodem die* (adsis); *sin quid . . .* (te retinet) *multa enim . . .* (possunt retinere); *utique postridie* (venias), cognosces, si contuleris A. Draeg. l. l. [2] I p. 200. Denique commemorandum etiam est in plurimis exemplorum supra allatis praedicatum omissum indicari dictione praepositionali.

5. Formae verborum dicendi indicatae

a) dictione praepositionali.

Illis generibus omissorum verborum deinceps adnumeraverim aliud in verbis dicendi usitatum, quod quidem caput iam attigit I. Mueller l. l. p. 76 sq. Attamen, ut etiam manifestior res evadat, liceat mihi denuo hanc dicendi verborum omissionem tractare aliaque exempla proferre.

IX 19 *de quibus mox plura*; III 1 *nunc de partibus*; XVI 115 *de quo plura alias*; 120 *de quibus plura mox paulo*; praeterea XXII 106; II 102; III 1; 95; V 16; VII 72. Sed hunc usum plane Ciceronianum esse demonstrant exempla velut Tusc. 3, 34 *verum quidem haec hactenus*; ad Att. 13, 29. Praeterea oppressa verba dicendi etiam

1) cf. Chr. Schuchium ad hunc locum.

2) cf. L. Grasb. p. 14 not. 3.

b) accussativo obiecti

indicantur; huius quoque usus exempla afferre possumus e scriptis Ciceronianis collecta. cf. de n. d. 1, 7 *verum haec alias* (tractabimus). Plinius haec scripsit: III 67 *pretium eius, quod supra*; et XIV 67 *ex reliquis autem a supero mari Praetuita atque Ancone nascentia et quae a palma una forte enata palmensia appellavere* sc. commemoro. Haec sufficiant, cum non solum apud Ciceronem, sed etiam apud omnes fere scriptores Romanos tot inveniantur exempla, ut ellipsis verborum dicendi, commemorandi, respondendi propria sit linguae Latinae.

c) oratione obliqua.

Restat, ut his adiciam exempla, quibus quam libere Plinius adnectat orationem obliquam, ostendam commotus illis observationibus, quas instituit G. Clemmius de hac re in libro, qui inscribitur: De breviloquentiae Taciteae quibusdam generibus, Lps. 1881, quo inspecto Plinium aeque ac Tacitum ea, quibus carere possunt, verba omittere demonstratur. Apparet autem orationem obliquam in Taciti scriptis saepius adhibitam esse quam in Plinii, qua de causa hoc caput Taciti subtilius distingui potest quam Plinii; attamen nonnullis locis etiam in Pliniano opere invenitur haec structura, quae ab eo his quattuor modis introducitur.

Primum quidem in enuntiati primarii praedicato est verbum dicendi vel sentiendi, ex quo tamen ipsa oratio obliqua non pendet, sive ipsum verbum repetendum sive novum verbum supplendum est: IX 76 *Aristoteles zmyrum vocat marem, qui generet: discrimen esse, quod murena varia et infirma sit*; X 18 *est praecelebris apud Seston urbem aquilae gloria; educatam a virgine rettulisse gratiam aves primo, mox deinde venatus adgerentem*; item XIII 131; XV 12; II 72; 48; V 55.

Deinde verbum regens enuntiati primarii proprie ad obiectum aliquod pertinet, qua de causa non ipsum ad sequentem orationem obliquam referri potest.

IX 89 *non sunt praetereunda . . . comperta de polypis, quae Trebius Niger e comitibus eius prodidit: avidissimos esse concharum;*

175 *piscium genera etiamnum a Theophrasto mira produntur: circa Babylonis rigua . . . remeare quosdam* etc.

Tertium accusativus cum infinitivo primo loco pendet ex verbo finito enuntiati regentis, deinde sequitur oratio obliqua: IX 94 *navigeram similitudinem et aliam in Propontide visam sibi prodidit Mutianus: concham esse acatii modo carinatam;* XIII 69 *et hanc Alexandri Magni victoria repertam auctor est M. Varro condita in Aegypto Alexandria: antea*[1]) *non fuisse chartarum usum;* item XXXIII 111; XI 46; II 10.

Denique verbum, ex quo pendeat oratio obliqua, omnino deficit, sed indicatur coniunctione enim XVI 63 *alii situ divisere; campestrem enim esse crispam, montanam spissam;* 67 *Graeci situ discernunt: campestre enim candidum esse nec crispum;* XXXI 32 *ideo et nives praeferunt nivibusque etiam glaciem . . . leviora enim haec esse et glaciem multo leviorem aqua.*

Insolentius oratio obliqua posita est nullo verbo sentiendi antecedente neque coniunctione indicata XII 101: *Sunt qui Aethiopicam his praeferant, glandem nigram nec pinguem nucleoque gracili, sed liquore, qui exprimitur odoratiori, nascentem in campestribus: Aegyptiam pinguem esse et crassiore cortice rubentem et quamvis in palustribus nascatur, breviorem sicciorem que.*

6. Verbum omittitur, si ex antecedentibus vel sequentibus expleri potest.

His brachylogiae Plinianae partibus absolutis ad aliam accedo partem, in qua dicendum mihi est de omissione verborum, quae ex antecedentibus vel sequentibus verbis expleri possunt. Iam uniuscuiusque generis exempla maxime memoratu digna afferre mihi liceat atque fiat initium ex iis enuntiatis, quae eadem condicione grammatica utuntur.

1) cf. C. Dziatzkonis: Untersuchungen über ausgewählte Kap. des antiken Buchwesens mit Text, Uebersetzung und Erklärung von Plinius N. H. XIII 68—89, Lps. 1900, p. 58.

a) Ex enuntiato primario supplendum est verbum in aliud enuntiatum primarium

α) eadem forma.

praef. 7 *quodsi hoc Lucilius, qui primus condidit stili nasum, dicendum sibi putavit, Cicero mutandum* sc. sibi putavit; X 178 *quod prodigiosum putant, sicut omnes mares et omnes feminas gigni* sc. prodigiosum putant, qui quidem usus Plinianus etiam apud priores scriptores magna exsistit licentia inveniturque iam apud Ciceronem. cf. in Verr. III 1, 48 *quid enim Verres? utrumne his quidem testibus credetur, an haec ad rem non pertinent? Non M. Octavio, non L. Liguri* sc. credetur? Liv. 40, 26 *et praetoribus Qu. Petilio et Qu. Fabio imperatum est, ut Petilius duas legiones . . . scriberet; Fabio* sc. imperatum est, ut etc.[1]). Ex Pliniano opere haec quoque insequantur exempla: XIV 89 *Fabius Pictor in annalibus suis scripsit . . . Cato ideo propinquos feminis osculum dare* sc. scripsit. XIII 131 *quin et nutricibus . . . aridum et in aqua decoctum potui eum vino dari iubet; firmiores et excelsiores infantes fore; viridem etiam gallinis, aut si maruerit, madefactum* sc. dari iubet, qui quidem locus ea re excusandus est, quod iterum agit de medicina.

β) alia forma.

Porro commemorandi sunt ei loci, quibus verbum alia suppletur forma, cuius rei iam apud I. Muellerum l. l. p. 86 invenimus exempla; cum autem haec ellipsis multum faciat ad breviter adstricteque loquendum, demonstrationem augeri nonnullis exemplis operae pretium esse arbitror. Ex Ciceroniana dicendi consuetudine usque adhuc unum tantum adnotare possum[2]); Tusc. 5, 4 *numeri motusque tractabantur et unde omnia orerentur* sc. tractabatur. cf. etiam Nepotis Alc. 7, 3 *timebatur enim non minus, quam diligebatur, ne secunda fortuna magnisque*

---

1) cf. A. Draeg. l. l. ² I p. 212.
2) cf. A. Draeg. l. l. ² I p. 212.

opibus elatus tyrannidem concupisceret, quo loco ante ne coniunctionem supplendum est verbum timendi impersonalis formae ex antecedenti personali. Hunc usum, quem videmus apud scriptores priores rarum fuisse, adamatum esse a Plinio haec exempla doceant.

Faciliores sunt ii loci, quibus verbum dicendi supplendum est alia forma. cf. X 101 *victum aiunt venerem pati, id quidem et coturnices Trogus* sc. ait *et gallinaceos aliquando*; XI 69 *sunt qui . . . putent reviviscere . . .* 70 *Vergilius* sc. putat *iuvencorum corpore exanimato*; 77 *bombyces et in Coo insula nasci traduntur . . . fieri autem primo papiliones parvos nudosque* sc. tradunt vel traditur; item XII 67. Alia verba his locis supplenda sunt: IX 157 *femina piscis coitus tempore marem sequitur . . . sub partu mares feminam similiter* sc. sequuntur; 166 *erythini et channae volvas habere traduntur, qui trochos appellatur a Graecis, ipse se inire* sc. traditur; X 86 *melancoryphi vocantur, sed et erithacus hieme idem phoenicurus aestate* sc. vocatur, quae exempla multis aliis augeri possunt.

b) ex enuntiato primario in enuntiatum secundarium.

Iam sequitur aliud genus verborum omissionis, cuius quidem quamquam non tot afferri possunt exempla quot prioris, tamen quaedam mira atque insolita commemoranda mihi esse existimo. Agitur enim nunc de enuntiatis, quae non eadem ratione grammatica utuntur, in quibus verbum finitum ex enuntiato primario suppletur in enuntiatum secundarium, atque primum quidem adiciendum est verbum

α) eadem forma.

Sed priusquam Plinianos enumerem locos, liceat mihi, ut hunc dicendi ordinem non a Plinio exordiri eluceat, adnotare nonnulla eius generis exempla e Ciceronis scriptis collecta. Nam si legimus apud Ciceronem in top. 26, 98 *qui ad persuadendum loci maxime valeant, dictum est in iis, in quibus de omni ratione dicendi* sc. dictum est, vel apud Horatium in carm. II 13, 1 sq.

Ille et nefesto te posuit die,
quicumque primum[1])

idem est, quod exstat apud Plinium X 42 *vescuntur et glande in hoc genere pomisque multae, sed quae carne tantum* sc. vescuntur, *non vivunt*; vel 184 *ex omnibus quae perfectos fetus* (sc. edunt) *sues tantum et numerosos edunt*; et XXXIV 5 *quaestus enim causa, ut omnia, exerceri coepta est* (ars), *quae gloriae solebat* sc. exerceri, quocum loco conferendus etiam est ille Ciceronianus in Tusc. I 17 *Platonem ferunt, ut Pythagoreos cognosceret, in Italiam venisse . . . primumque de animorum aeternitate non solum sensisse idem, quod Pythagoram* sc. sensisse ferunt, *sed rationem etiam attulisse.*

Deinde etiam inest singularis dicendi brevitas in iis locis, quibus suppletur verbum in enuntiatum secundarium

β) alia forma,

cuius capitis itérum etiam apud Ciceronem exstant exempla, quorum hoc afferre mihi liceat: Phil. XII 7, 17, *ego semper illum hostem appellavi, cum alii adversarium* (sc. appellarent), *semper hoc bellum* (appellavi), *cum alii tumultum* (sc. appellarent), quod quidem est exemplum insolentioris breviloquentiae[2]). Inspicias nunc, quaeso, exempla e Plinii naturali historia collecta, quae pertinent ad hoc caput passimque leguntur: X 133 *iam et in Gallia Hispaniaque capitur et per Alpes etiam, ubi et phalacrocoraces* sc. capiuntur; XVI 93 *hoc* (vento) *maritantur vivescentia e terra, quippe cum etiam equae in Hispania* sc. maritentur; 120 *multae plura gignunt . . . inter quas laurus uvas suas* sc. gignit; III 120 *a quo Adriaticum mare ante appellabatur quod nunc Hadriaticum* sc. appellatur.

c) Ex enuntiato secundario in enuntiatum primarium.

Porro nonnullos adnotare possum locos, quibus verbum finitum ex enuntiato secundario suppletur in enuntiatum primarium. cf. XIII 129 *quoniam non alibi vivit, sicut et viscum*

---

1) cf. A. Draeg. l. l. ² I p. 212.
2) cf. A. Draeg. l. l. ³ I p. 214.

non arboribus, sed illud in spina tantum sc. vivit; XXXIV 37 *cum Lysippus MD opera fecisse prodatur . . . numerum aperuisse defuncto eo, cum thesaurum effregisset, heres* sc. proditur. De medicorum sermone commonefaciunt iterum haec verba: XXI 76 *sed quoniam statim repraesentari aliqua in tantis insidiis oportet, mulsum vetus e melle optimo et ruta, salsamenta etiam* sc. repraesento.

d) ex enuntiato secundario in aliud enuntiatum secundarium.

Conferas, si libet, cum his similibusque locis aliam sermonis breviloquentiam, cum primum ex enuntiato secundario adiciendum est verbum in aliud enuntiatum secundarium his locis: V 19 *diu regum nomina obtinuere, ut Bugutiana appellaretur extuma, itemque Bocchi, quae nunc Caesarienses* sc. appellantur; et XII 134 *quam alii elaten vocant . . . quod nos abietem* sc. vocamus.

Deinde e gerundii forma cognoscendus est infinitivus XII 89 *extis impetratur venia caedendi, non tamen ut ante ortum solis aut post occasum liceat* sc. caedere. Denique e participio verbum enuntiati secundarii III 9 *Baetis . . . non . . . Mentesa oppido sed Tugiensi exoriens saltu, iuxta quem Tader fluvius* sc. oritur, *qui . . . rigat.*

7. Verbum finitum omittitur, si similis notio antecedit vel sequitur.

Ab iis locis, in quibus separatim actum est de eodem verbo supplendo, ad alium accedam usum certe memorabilem naturalem historiam tractantibus; nunc enim spectemus ea exempla, in quibus verbum finitum omittitur, si similis notio antecedit vel sequitur; ac primum quidem agitur de enuntiatis primariis et secundariis inter se coordinatis, qua in re facilior est ellipsis, si ex verbo negandi addendum est verbum affirmans vel invicem, quod legimus his locis XI 5 *insecta multi negarunt*

spirare . . . itaque vivere ut fruges arboresque sc. contendunt; XVII 176 *sunt, qui vetant tangi* (viviradicem) . . . *neque ante LX. mensem falce curari, tunc autem ad tris gemmas recidi* sc. iubent, quibus duobus coniunctionibus *itaque* et *autem* ostenditur verbum significari contrarium primi praedicati, quod non fit VIII 203 *capras . . . negant . . . contueri . . . id etiam evenire* sc. dicunt[1]). Similiter conformati sunt ii loci, quibus verbum dicendi explendum est ex antecedenti verbo sentiendi. cf. XIV 136 *ipsa* (vina) *defruta . . . coqui iubent, praeterea plumbeis vasis non aereis nucibusque iuglandis additis; eas enim fumum excipere* sc. dicunt, quo loco iterum mitigatur verbi ellipsis coniunctione enim addita. Huc referri potest etiam XXXI 123 *quidam ita distinguunt: alias ex his maris tenui fistula . . . alias feminas maioribus fistulis* sc. existumant; vel XXXVI 84. Difficilior est ellipsis his locis XI 75 *in his ceras largius quam apes faciunt, dein maiorem vermiculum* sc. inponunt; XXXI 51 *Apolloniae in Ponto fons iuxta mare aestate tantum superfluit et maxime circa canis ortum, parcius* sc. fluit, *si* etc; II 195 *et autumno ac vere terrae crebrius moventur, sicut fulmina* sc. iaculantur. Agmen claudant iterum exempla quaedam ex libris medicinarum collecta. cf. XXXI 125 *oculorum tumores sedant ex mulso impositi; iidem abstergendae lippitudini* sc. adhibentur vel tale quid; item XXIII 111.

8. De particula „ut“ brachylogice posita.

Iam apud classicos scriptores verba faciendi, ut supra commemoravi, opprimuntur imprimisque in locutionibus ex „ut“ incipientibus, quae consuetudinem indicant; dico illud ut solet, ut assolet, quod quidem apud Ciceronem legimus. Si hic usus iam multum refert ad brevitatem dicendi, augetur etiam breviloquentiae vis, ubi praeter verbum faciendi etiam verbum auxiliare neglegitur. His in exemplis sequitur particulam ut

---

1) cf. etiam I. Muellerum l. l. p. 77.

maxime praepositio in: XVIII 107 *mulierumque id opus erat, sicut etiam nunc in plurimis gentium*; XVI 57 *nec corpori ipsi parcitur ut in ceteris*; XVII 15 *ut in Aegypto*; 17 *ut in piris*; 45 *ut in metallis,* et sic saepissime apud Plinium. Uno loco sequitur praepositio ad: XXXI 27 *quod quaedam* (aquae) *etiam blandiuntur adspectu, ut ad Nonacrim Arcadiae*; denique uno loco circa: XVI 34 *ut circa Elim et Lacedaemonem.*

Scriptor de vita sua.

Natus sum Ferdinandus Gaillard a. d. sextum Id. Decembres anni MDCCCLXXVIII in oppido ad Rhenum flumen sito, cui nomen est Molihemia, patre Petro matre Anna e gente Sieberg, quos superstites esse maxime gaudeo. Fidem profiteor catholicam. Primis litterarum elementis in ludo patriae meae imbutus puer tredecim annorum gymnasium adii Molihemense, cuius per octo annos fui alumnus. Maturitatis examine superato in numerum civium academicorum adscriptus Bonnae per unum semestre colui studia theologica, deinde per quinque semestria operam dedi studiis philologis, quae me docuerunt viri doctissimi Bücheler, Usener, Elter, Radermacher, Solmsen, Nissen, Loeschcke. Regii philologorum proseminarii Bonnensis eram sodalis per quattuor semestria. Quibus absolutis vere ineunte anni MCMIII Almam Philippinam Academiam Marpurgensem petivi, quo loco per tria semestria continuavi studia, cum magistris usus sim viris clarissimis Birt, Maass, Niese, qui benignissime permiserunt, ut seminariis philologo historicoque interessem, praeterea Cohen, v. d. Ropp, quibus omnibus viris optime de me meritis, imprimis Birtio, qui tam saepe consilio me adiuvit, summam semper habebo gratiam. Examen rigorosum subii a. d. I. Idus Decembres anni MCMIV.

22. Orc

Bonnae typis Caroli Georgi typographi academici.